ROMA PROPRIO TRIUMPHANS NOMINE. AUTORE PETRO BENTIO, INTERPRETE...


Pierre Bence, Giuseppe Renato cardinale Imperiali



Bentii, Roma proprio triumphans nomine. 8.
Parisiis 1662, ben leg. »

ROMA
PROPRIO
TRIVMPHANS
NOMINE.

Autore PETRO BENTIO,
Interprete Regio.



Irritat aduersarius nomen tuam in finem. Psal. 73.

Vrbs potens, Vrbs Orbis Domina, Vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. Hier. lib. 2. aduerſ. Iouinianum.



PARISIIS,
Apud EDMVNDVM COVTEROT,
viâ Iacobæâ, ſub ſigno Boni Paſtoris,
& Bibliorum Aureorum.

M. DC. LXII.

CVM PRIVIL. ET APPROBAT.



EMINENTISSIMO
PRINCIPI CARDINALI
ANTONIO BARBERINO,

SANCTÆ ECCLESIÆ Romanæ Camerario, Magno Franciæ Eleemoſynario, Archiepiſcopo Duci Remenſi deſignato, Primo Franciæ Pari, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato nato, &c.



MINENTISSIME PRINCEPS,

Hoc meum de Roma recens

ã ij

Opusculum, TVÆ EMINENTIÆ, dedicare & offerre audeo: exiguum quidem munus, si solum respiciatur volumen, sed amplum, regium & magnificum, si subiectum, de quo tractat, diligenter & maturè consideretur: Cúmque sis dignissimus Romæ filius ac EMINENTISSIMVS PRINCEPS: Cum sis animo verè regio & planè magnifico, regio & magnifico aspectu illud te excepturum omnino spero. Roma est, Roma vetus & noua, Roma Caput Mundi; Roma Caput Ecclesiæ Christi, qui totum Mundum pugillo continet; Roma excelsa, Roma potens, Roma fortis, Roma

terreno & cœlesti exultans Imperio , Roma militans , Roma victrix, Roma triumphans. Sed quo triumphorum genere credit Tua Eminentia *hodie Romam triumphare? Proprio triumphat nomine. Triumphus sanè nouus , Triumphus inauditus , & qui prima fronte fortassis tibi videbitur incredibilis. Sed si ex his paucis pagellis, quæ tantum & tam celebrẽ continent triumphum, aliquot digneris euoluere , verum & legitimum eße triumphum non dubitabis. Romæ dignitatis , Romæ honoris, Romæ autoritatis, Romæ certaminum & victoriarum, vt Romæ Principi, optimam partem tibi deberi, quis dubitat? Æquum*

est igitur & iustum, expetit ipsamet ratio, vt in eius triumphis optimam quoque partem capias. Respice, quæso, Romam tam admirando triumphantem triumpho, illam recipe, illam admitte, illam amplectere, illam defende, huiúsque triumphi authorem memento protegere: Triumpha cum Roma, Triumpha cum Christo, Triumpha cum Ecclesia, & sicut Ecclesiæ Militantis fortissimum & indefessum militem te semper ostendisti, ita brauium Æternitatis & coronam consequi, & cum Ecclesia Triumphante in æternum triumphare queas, à Summo, Supremo ac Æterno Triumphatore ex toto corde, ex

tota anima, ex totis visceribus optat & precatur.

TVÆ EMINENTIÆ,

Humillimus, obsequentissimus & indignissimus seruus,

PETRVS BENTIVS.



PRÆFATIO DE NOMINIBVS.



O prolabi ſolent Hæreticorū præſumptiones, ait Tertullianus, vt ea per quæ reuincuntur nolint agnoſcere, ſed reſpuant quodcunque ſuæ aduerſatur doctrinæ, licet ex Dei ipſius afflatu pronunciatum ſit. Si noſtri temporis Hæreticis Petri primatum, poteſtatem aliaſque prærogatiuas, quibus illum donauit Chriſtus Dominus; Si eundem Apoſtolorum Principem Romæ ſedem conſtituiſſe; ſi Romanum Pontificem illius verum & legitimum eſſe ſucceſ-

Lib. de Præſcri. adu. Hæret.

ſorem, ideoque Summum Chriſti Vicarium Eccleſiæque Caput viſibile; ſi Romanam Eccleſiam eſſè Catholicam & Apoſtolicam, ac proinde ſolam Chriſti Eccleſiam, extra quam nulla prorſus ſperanda ſalus, ex Sacris Bibliis probare aggrediar, quoſcunque de his textus in medium afferam, aut in alium ſenſum conuertent, aut à quodam Monacho adulteratos adiunctoſve clamitabunt, aut dicent cum Luthero ſe de Bibliis non curare, nec pluris facere Scripturas quam putridam nucem: & fortaſſis eò dementiæ prolabuntur, vt Sacros omnes Libros à quodam malo Deo dictatos; vt Euangelia ipſa non ab Apoſtolis aut aliis Chriſti Diſcipulis, ſed à quibuſdam impoſtoribus, qui multa falſa veris admiſcuerint, conſcripta audeant affirmare, ſicut olim Simoniani, Baſilidiani, Marcionitæ, Manichæi, Bogomiles & Albigenſes.

In Conuiu.

Auguſt. lib. 32. cont. Fauſt. cap. 2.

Si ex Traditionibus eiuſmodi propoſitionum veritatem deſumere contendam, iſtud Plauti ſtatim mihi decantabunt, *Gerræ Germanæ, atque ædepol liræ liræ*, profitebunturque cum

In Penulo.

eodem Luthero omnes Traditiones meras eſſe fabulas ; nullam aliam in Eccleſia Dei ttadi debere doctrinam quam purum Dei verbum, hoc eſt Sanctam Scripturam; alioſque Doctores, qualeſcunque ſint, cum ſua doctrina anathemata eſſe cenſenda. In Conuiu.

Si ex Conciliis id præſtare coner, nec plus proficiam: Crocitant enim iſti corui cum Caluino, quoduis Concilium, in quantum, vt aiunt, Papiſtis conſtat, reproborum eſſe leporarium aut formicarium, Chriſtianiſmique veluti fecem, ſordes aut quiſquilias. Omnium prorſus Conciliorum, licet Generalium, aſpernantur decreta: Summum Pontificem, cuius autoritate cogi ſolent, Patreſque qui iis adſunt, tam atrocibus afficiunt contumeliis, vt Diaboli ipſius petulantiam exuperenr. Eò tandem deueniunt impudentiæ, vt Lutherum dicere non puduerit, ſi quod Concilium ſtatueret aut permitteret vtramque Euchariſtiæ ſpeciem, ſe aut vnâ, aut neutrâ vti velle. Antidot. cont. Act. Cōcilij Tridentini. De form. Miſſ.

Si ex Patrum autoritatibus hoc confirmandum ſuſcipiam, adhuc pe-

ius : Mille probris Sanctos insectantur, mille maledictis incessunt Ecclesiæ Patres, audentque diuulgare eos omnes esse nebulones, insulsos, fatuos, ignaros, amentes, insanos, religionis simulatores, falsos Christi Discipulos, fetida cadauera, Antichristique satellites. Simili petulantia Patres Tridentinos excipit Caluinus, qui nec etiam pepercit SS. Ambrosio & Hieronymo, quorum primum Diabolicas habuisse visiones asserit; alterum vero fuisse inconstantem, furiosum, mente captum, sibi ipsi repugnantem, ac Sanctæ Scripturæ corruptorem impudentissimum.

Si denique Sibyllarum Oracula, si ipsius Ethnicismi Scriptorum testimonia cogitarem adducere, nec illis etiam vellent credere. Tantum est eorum in Romanũ Pontificem odium, tanta in Romanam Ecclesiam maleuolentia, vt nec ipse Dæmon, licet eorum Doctor & Ductor, apud eos fidem posset obtinere, si quod nos proponimus ille susciperet probandum.

Quò me igitur vertam? quos im-

plorem, Patres Conſcripti? Romam ipſam implorabo, ad propriam eius appellationem confugiam, proprium eius nomen examinabo, illius interpretabor vocabulum, diuerſas *Romæ* nominis aperiam ſignificationes, diuerſa eius ſcrutabor myſteria, elementa ipſa, quibus conſtat *Roma*, diligenter ponderabo: Ex tam mirabili nomine, tanquam ex limpidiſſimo fonte, rationes tam claras, argumenta tam valida, iuuante Deo, ſpero haurire, & quæ quod ſuſcepimus opus tam clarè tamque validè confirment, vt Romam, vt Romanam Eccleſiam, vt Romanum Pontificem iſti canes non audeant amplius allatrare.

Totius eruditionis fundamentum poſuit quiſquis Nomenclaturam rerum intelligenter perdidicit. Nominibus rectè perceptis facilè percipiuntur nominata: quippe nomina rerum ſunt imagines; & ſicut ex imaginis inſpectione cognoſcitur archetypon, ad cuius ſimilitudinem efficta eſt, ita & cognito nomine, rei cui tributum eſt comparatur notitia. Ideo cuiuſque rei appellationem Latini dicunt

Nomen, quaſi *Notamen*, inquit Iſidorus, quod Nomen rem ſuo vocabulo notam efficiat, & rei nulla ſit cognitio, niſi ſciatur eius nomen. Ideo Græci dicunt Ονομα, quaſi ουτος νοημα, ait Plato in Cratylo, id eſt Entis notitia. Ideo diuinus ille Philoſophus vocat Nomen διδασκαλικον οργανον, hoc eſt, inſtrumentum ad docendum idoneum. Ariſtoteles quoque ad rei cuiuſpiam naturam & rationem explicandam nihil æquè valere vt Nomen pluribus in locis apertè fatetur. Hanc autem rerum à Nominibus cognitionem non ſolum de Vniuerſalibus, ſed etiam de Singularibus, verbi gratia de hoc aut illo homine, de hac aut illa prouincia, de hac aut illa vrbe, intelligendam eſſe cenſent quamplures grauiſſimi autores: nec dubitauit aſſerere doctiſſimus Mamertus, Viennenſis Epiſcopus, hominis proprium Nomen eius naturam, mores ac fortunam ſæpius deſignare. Iuriſconſulti quoque ſcribunt Nomen malum & turpe indicium eſſe ad torturam: quod licet de fama vtplurimum intelligant, tamen Cicero, Iuriſconſultus meâ ſen-

Epiſt. ad C. Solin.

tentiâ ſatis præclarus, vt ei fides adhibeatur, de appellatione duntaxat, non de fama, intelligendum eſſe docet: *De nomine*, inquit, *nonnunquam aliquid ſuſpicionis naſcitur: Nomen autem cum dicimus, cognomen intelligatur oportet, de hominis enim certo & proprio vocabulo agitur; vt ſi dicamus idcirco aliquem Caldum vel Calidium vocari, quod temerario & repentino ſit iudicio.* Fatentur linguæ Sanctæ periti omnia eius nomina eſſe veluti exigua volumina, in quibus Entium naturam & hiſtoriam ſapienti ſaltem liceat legere. Hoc agnoſcit noſter Dubartas, cum dicit Lib. 2 de Inuent.

Saint Dialecte, en toy les Noms propres des hommes.
Des Païs, des Citez, ſont autant d'Epitomes
De leurs geſtes fameux, &c.

Sed quæ hactenus generatim de Nominibus diximus, ſingularibus quibuſdam comprobemus exemplis. Eſau rediens venatu, offerenſque patri in lecto iacenti de venatione quam ce- Gen. 27

perat, cum benedictionem ſibi ſubreptam cognouiſſet, nec matris fraudem, nec patris inſcitiam, nec maleuolum fratris animum, nec afflictam ſui ipſius fortunam accuſat, ſed in ſolo fratris vocabulo tantæ iacturæ cauſam quærit & inuenit. *Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob; (id eſt ſupplantator) ſupplantauit enim me en altera vice: primogenita mea ante tulit, & nunc ſurripuit benedictionem meam:* In Iacob nomine leges ſuam ab eo ſupplantationem, & ex eodem præuidens ſuos poſteros alioſque quamplurimos populos à fratris poſteris aliquando ſupplantatos iri.

Quum Abigail obuiam proficiſceretur Dauidi, qui quoniam Nabal eius pueros peſſimè excepiſſet, illius domum veniebat deletum, vt irati illius Principis Placaret animum, maritique petulantiam excuſaret, nec à prauis moribus, nec à naturæ acerbitate, nec à ſuperbia, nec ab ebrietate, aut quouis alio fonte, ſed ab eius Proprio nomine præcipuas petit excu-
1. Reg. 25. ſationes: *In me ſit, Domine mi, hæc iniquitas: Loquatur, obſecro, ancilla*

tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ: Ne ponat, oro, Dominus meus Rex cor suum super virum istum iniquum Nabal, quoniam secundum nomen suum stultus est: Quasi resciuisset sapiens illa Virago, Dauidem re & nomine Dilectum à Domino, summaque ideo sapientia præditum, facilè placatum iri, cùm animaduertisset Nabal esse stultum secundum nomen, nec sapienti plus esse honori de stulto penas velle repetere, quàm de cane qui illum allatrasset, aut de musca quæ eius sordidasset pallium.

De Saule Israëlitarum rege idem ac de Nabale fieri potest iudicium. Sicut enim hic erat stultus secundum nomen, ita & ille erat Vulpes, quoniam Hebraicè *Saul* significat Vulpem: Nec hic plura occurrunt dicenda, vt probetur ista propositio; Cùm x Saulis agendi ratione, & cum Paruo, & cum Populo, & cum Samue- Propheta, & cum Ionata filio, & ım Dauide suo genero, & cum Domıno ipso, satis constet eum secunım Nomen veram fuisse Vulpem, minem scilicet dissimulatum, astu-

tum, vafrum & dolosum; vultumque hominis tantum habuisse, cor autem vulpinam : quod Deus ipse Samueli voluit significare cum dixit; *Ne respicias vultum eius, neque altitudinem staturæ eius, quoniam abieci eum; nec iuxta intuitum hominis iudico, Homo enim videt ea quæ apparent, Dominus autem intuetur cor.* Et quia vulpinum Saulis animum optimè nouerat Dauid, ideo eius fidei nunquam voluit credere. Suauia quidem ac sanè dulcia sunt hæc verba; *Nunquid vox tua fili mi Dauid? Reuertere, fili mi Dauid: Benedictus tu fili mi Dauid;* & quæ versutorum versutissimum potuissent decipere; sed quia redolebant Vulpem, eorumque autor erat Vulpes secundum nomen, iis idcirco noluit credere Dauid, imò fugit in terram Philistinorum, dicens: *Aliquando incidam vna die in manus Saul: Nonne melius est vt fugiam, & saluer in terra Philistinorum?* Nam vt optimè dixit Phædrus de Vulpe,

1.Reg. 16.

1.Reg. 26.

Quicunque

Quicunque turpi fraude semel innotuit,
Etiamsi verum dicat, amittit fidem,

Et quisque prudens prudenter agit, dum sequitur istud Horatij consilium,

Nunquam te fallant animi sub vulpe latentes. Epist. 1.

Cicero in Orationibus, quas Romæ in Senatu contra Verrem habuit, quasi argumenta ex nomine proprio petita omnium validissima iudicasset, peculatus de quo accusatus erat ille grassator, cum etiam ex nomine conuicit, esseque Verrem secundum nonen Patribus Conscriptis significauit: *errem* scilicet *à Verrendo* dictũ, quod mnia verreret, & nihil reliqui faceet homo furax: illamque immodeıtam latrocinandi & in populum :assandi licentiam à Verris consciis iam dictum *Ius Verrinum*, quasi s Verrendi: *quod vnquam, Iudices*, Orat. 5.
quit, *huiuscemodi euerriculum vlla*

Orat.7. *in prouincia fuit? O Verrea præclara!* (loquens de quibuſdam feſtis in Sicilia à Verre inſtitutis) *quò enim acceſſiſti, quò non attuleris tecum iſtum diem? Etenim quam tu domum, quod fanum adiiſti, quod non euerſum atque exterſum reliqueris? quare appellentur ſanè iſta Verrea, quæ non ex nomine tantum, ſed & ex manibus moribuſque tuis conſtituta eſſe videantur.* Vnde de Verre poſtea dixit Iuuenalis,

Quis Cœlum terris non miſceat, & mare Cælo,
Si fur diſpliceat Verri, homicida Miloni.

Quoniam verò Verres etiam ſignificat porcum, idque conſuetudinis habeat Verres, vt roſtro totum effodiat agrum, ne vlla beſtia poſt illum aliquid inueniat paſcendum, ita & à Verre porco plurima in Verrem hominem argumenta deducit noſter Orator:
Orat.9. *Quid facimus*, inquit, *in Verre, quem in luto volutatum totius corporis veſtigiis inuenimus? Sed repente è veſtigio ex homine, tanquam aliquo Circæo po-*

calo, factus est Verres. Et quia porcos sicut & alias victimas immolare Sacerdotum munus erat, ideo in Oratione sexta loquens de siculis dixit; *Sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset.* Orat. 6.

Apud Flauium Vopiscũ Miluius Gallicanus arguit Valerianum Imperatorẽ, quod Probum imberbem fecisset Tribunum; sed de nomine adolescentis illi respondet Imperator: *Miraberis fortassis*, inquit, *quod ego imberbem Tribunum fecerim, contra constitutum Diui Adriani; sed non multum miraberis, si Probum adolescentem cogitas verè probum: nunquam enim aliud mihi, quum eum cogito, nomen occurrit.* Vopiscus. Nec Valerianum fefellit opinio, quam de Probo conceperat: Is enim postea ob suam probitatem Imperium obtinuit, in eoque administrando tam probè se gessit, vt Senatus decreto æternùm hoc probitatis monumentum defuncto fuerit erectum: *Hic Probus Imperator verè probus situs est, Victor gentium barbararum, Victor etiam tyrannorum.* De eodem Probo simile quid scribit Ægnatius: *Nec fefellit,* Aegnat. lib. 2.

inquit, *Omen nominis, cùm hoc illi cognomen esse potuerit, vt si non illi fuisset Probi nomen, cognomento hoc appellari potuerit.*

Marco literis significauit Verus Auidium esse Imperij auidum, idque auiditatis ex nomine comperisse affirmat: quo deinceps experientiâ comprobato scripsit Marcus Faustinæ Verum re sicut & nomine esse verum: *Verus*, inquit, *de Auidio mihi verum scripserat, quod regni esset auidus, aueretque imperare.*

Lāprid. De Imperatore Seuero legimus apud Lampridium eum semper fuisse seuerum, seuerum in milites, seuerissimumque iudicem contra fures.

De Copronymo narrant Scriptores Græci eum secundum nomen, quod est stercoris nomen, stercoreum fuisse principem, moribusque stercoreis hominem. Inter alios scribit Theophanes illum Imperatorem caballinis stercoribus & lotio summopere delectatum; & adeo delectatum, ait Theosterictus apud Nicetam, vt stercore bestiarum singulis ferè diebus vellet oblini, familiarioresque suos aulicos

Theophanes. Theostericus. Nicetas.

ad tam ſordidam vuctionem cogeret, quò ſicut ſtercoreum gerebat vocabulum, & ſtercoreus eſſet homo, ita & eius aula etiam ſtercora redoleret.

De Lutero ſimile quid ſcribit Bredembachius, cum videlicet verè fuiſſe Luterum, Lutoſum Hæreticum, & luti tam ſtudioſum, vt ſeruum, quod eius pallium iam à ſex menſibus luto illitum deterſiſſet, ſemel fuſtibus exceperit. Et quia lutum & ſtercus ferè ſunt idem, ſtercoris æquè ac luti amicum fuiſſe legimus, ac tam amicum, vt ſtercoreis vocibus, tanquam Orationis cultibus, ſermones adornaret, ſtercoreuſque Propheta vocari meritus ſit. De hoc Andreas Decianus, Luteri contemporaneus, hoc lepidum nobis reliquit Epigramma.

Stercora cùm præ ſe ducat quæcunque Luterus,
Oreque ſpurciloquo nil niſi ſtercus habet:
Num, rogo, ſtercoreum dices hunc eſſe Prophetam?
Qualia verba viri, talis & ipſe vir eſt.

Nonne Macrinus erat Macrinus, id est Macellarius seu lanio? Vt Macrinum secundum nomen uerè fuisse macellarium & lanionem fuisse credamus, sufficiat nobis istud Capitolini testimonium: *Macrini domus*, inquit ille Scriptor, *macelli specie cruentabatur sanguine vernacularum.*

Capitolinus.

Hæreticus Curbicus, qui postea Manes & Manichæus voluit appellari, nonne fuit Curbicus secundum nomen? aut potius Cucurbita, Cucurbita ventosa, Cucurbita inanis, Cucurbita insulsa, Cucurbita insipida; homo videlicet bardus, homo stupidus, ineptus & inconditus, qui tam inania, tam insulsa, tam inepta & incondita protulit, vt si iam proferrentur, nec ipsæ Cucurbitæ ea vellent audire. Et verè Manes, verè Manichæus, verè Μανικὸς, verè insanus, verè furiosus, verè mente captus, qui tot ineptias, qui tam absurda rationique tam contraria scripsit, vt à Furore, vt à Furiis ipsis videantur fuisse dictata.

Quid de Caluino? *Caluinus* deductum est à Verbo *Caluo* seu *Caluor*,

quod idem ac *Decipio* seu *fallo* signi-
ficasse constat ex Antiquis, v. g. Plau-
to, Pacuuio & Accio.

*Nam vbi domi sola sum, sopor manus
caluitur.*
*Sed quid conspicio? nunc me lactans
caluitur ætas.*
*Sed memet caluor; vos istum, vt iussi
ocius abstrahite.*

Verè Caluinus Deceptor fuit secun-
dum nomen. Deceptor qui sua falsa
doctrina decepit oues Domini: De-
ceptor, de quo incauti, qui ab eo fue-
runt decepti, possunt dicere quod de
Iacob dixit Esau, *Iustè vocatum est no-
men eius Caluinus, nam caluit & de-
cepit nos, nostramque tulit benedictio-
nem.* Sed si Caluinus, si Deceptor,
etiam & Calumniator, quippe secun-
dum Isidorum à *Caluor* deducitur *Ca-
lumnia*: Et si Calumniator, ideo etiam
& Diabolus censendus est; quoniam
Græcè *Calumnia* dicitur διαβολὴ, & *Ca-
lumniator* διάβολος, vtrumque à verbo
διαβάλλειν, quod Latini vertunt *Calum-
niari.* Ex ipsius autem Caluini scri-

ptis constat eum fuisse Diabolum, id est Calumniatorem: calumniatur Ecclesiam, calumniatur Scripturas, calumniatur Patres, calumniatur Concilia, calumniatur Reges; calumniatur Romanum Pontificem, Summum in terris Christi Vicarium; calumniatur impsummet Christum, quem in desperationem adactum fuisse dicit, cum in Cruce hæc protulit verba, *Heli, Heli, Lammasabathani?* hoc est, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Nec parcit eius calumnia ipsimet Deo, quem facit autorem peccati.

Antagoras, cum Thebaicam Historiam, quam conscripserat coram Bœotiis recitaret, neque illi aures præbere comperisset, præ stomacho clausit Librum, dixitque; Δικαίως καλεῖσθε Βοιωτοὶ βοῶν γὰρ ὦτα ἔχετε; Meritò vocamini Bœoti, boum enim aures habetis. Nec immerito Bœotiis simile quid exprobrauit: Ob cælum enim crassum, sub quo nascebantur, erant bardi ac stupidi quasi boues. Vnde annotat Horatius de homine bardo ac stupido olim fuisse dictum,

Beotum crasso iurares in aëre natum. Epist. lib. 2.

Ex antiquo Græcorum nomine, quod fuit *Iones*, corruptum ab Hebræo *Iauanim*, id est *Deceptores*, inueniemus Græcos semper fuisse dolosos, fraudulentos, & nullius fidei homines, omnibusque planè populis suspectos, etiam dona ferentes, vt his versibus annuit Troianus Laocoon apud Virgilium:

An vlla putatis Aeneid. 2.
Dona carere dolis Danaum? sic notus Vlysses?
Quicquid id est, timeo Danaos, donaque ferentes.

Istud vitium iis obiicitur ab Euripide ipso, licet Græco,

Πιστὸν Ἑλλὰς οἶδεν οὐδέν
Græcia nequaquam nouit fidem.

Inde adagium, *Græca fides*: Et vt optimè scripsit Polibius; *Apud Græcos, si cui vel vnum duntaxat talentum creditum sit, adhibitis decem autographis,*

totidemque sigillis, duploque pluribus testibus, fidem non seruant. Ideo Ausonius de Philone, suo mancipe dicit, *Mutuatur ad Græcam fidem*, hoc est, vn nunquam restituat. Et de Græcorum mala fide aliud ortum adagium, *Græca fide emere seu vendere*, hoc est præsenti & numerata pecunia. Hoc testatur Plautus in Asinaria, vbi Lena Clareta sic loquitur:

Diem, aquam, Solem, Lunam, noctem, hæc argento non emo:
Cætera quæ volumus vti Græca mercamur fide.

Ideoque scribit Herodotus Athenienses, forsan quod cæteris Græcis plus haberent generositatis, Græci nominis omnino puduisse, nec Græcos appellari voluisse.

Vult quis scire qui olim fuere, & qui iam sunt Hebræi, comperiet ex nomine eos semper fuisse, & adhuc esse peregrinos, errabundos, & de regione in regionem perpetuò transeuntes. *Heber* enim, vnde dicti sunt *Hebræi*, Latinè sonat *Peregrinus* seu

Transiens. Vnde dixit Dominus Abrahamo, illustrissimo sanctissimoque istius peregrinantis familiæ filio, *Scito quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra.* Et licet ex eius mandato in hac aut illa regione quiescat, vult vt in ea quiescens etiam in ea peregrinetur: *Ne descendas in Ægyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi, & peregrinare in ea.* Gen. 15. Gen. 26.

Dubitat quis & qualis sit Anglus, eius nomen consulat, hocque illi reddet oraculum,

Angelus est Angelus, cui nunquam fidere fas est,
Dum sibi dicit Aue, *sicut ab hoste caue:*

Similis illi bono Euclioni, de quo loquitur Plautus,

Altera manu fert lapidem, panem ostentat altera.

Angelus quidem, sed malus, & ex numero eorum quos vidit Ioannes, exeuntes ex fumo putei abyssi, habentes caudas similes Scorpionum, scilicet à tergo, & quales vsus Dæ-

mones ſolet depingere. Quoſdam autem Anglos eiuſmodi caudas geſtare, idque iis accidiſſe ex eo, quod per ludibrium Thomæ, Cantuarienſis Archiepiſcopi, equo caudam obtruncaſſent, ex ſequenti patet Diſticho.

Fertur equo Thomæ caudam obtruncaſſe Britannos,
Hinc Anglos caudas conſtat habere breues.

Indeque illis obtigit *Caudatorum* agnomen; & quia in cauda latet venenum, ideo

Angelus eſt Anglus cui nunquam fidere fas eſt,
Dum tibi dicit aue, ſicut ab hoſte caue.

Hoc autem dictum ſit pace tot bononorum Anglorum, qui in eo infelici regno adhuc inueniuntut.

Quid plura? Deus ipſe fatetur Moyſi, ſe illum ex nomine cognoſcere, *Noui te ex nomine*: nec tantum Moyſem, ſed & omnes homines, vt quo-

rum nomina ſcripta ſunt in eius libro, Pſ.138.
maximè Electorum, quibus dicit, *Gaudete quod nomina veſtra ſcripta ſunt in Cælis.* Ipſemet Moyſes, cum domino dixit, *Si dixerint mihi quod eſt nomen eius, quid dicam eis?* Deum niſi ex nomine poſſe cognoſci cenſuit. Idcirco Filius dicit Patri, *Pater clarifica nomen tuum:* Ioan.12.
Narrabo nomen tuum Pſal.21.
fratribus meis: Manifeſtaui nomen tuum hominibus, quos dediſti mihi: Ioan.17.
Notum eis feci nomen tuum, & notum Ibidem.
faciam.

Tanta denique Nominis ad Nominatum relatio, vt paſſim in Scripturis Nomen ſumatur pro Nominato, idemque ſit delere nomen hominis ac delere ipſum hominem: *Dimitte me vt* Deut.9.
conteram eum, & deleam nomen eius de ſub Cælo: Occiſa ſunt in terræmotu no- Apoc.11
mina hominum ſeptem millia. Vrbium autem, ſicut & hominum, fortunam, dominium, incrementum, euerſionem, reſtitutionem, aliaque præcipua, tum proſpera cum aduerſa, quæ ex Dei decreto iis ſunt euentura, ex Nominibus poſſe conjici, id luce cla-

rius ſecundo oſtendemus Capite, variiſque comprobabimus exemplis.





INDEX CAPITVM, quæ hoc continentur opere.



ROMA



ROMA PROPRIO TRIVMPHANS NOMINE.

DE ROMÆ NOMINE *variæ Scriptorum Sententiæ.*

Capvt Primvm.



Icvt de Romæ conditore non conueniunt Hiſtoriographi, ita nec de nominis autore. Aliqui, vt puto temerè, vel à Romano Vliſſis filio, vel à Romaneſſo Hetruſcorum Principe, vel à Romi Latinorum tyranno Romæ nomen in-

ditum fuisse scribunt.

Alij, & verisimilius, Romo huius nominis tribuunt impositionem : iisque fauet ex Sibyllis vna, quæ ideo Romanos vocat Ρώμυ παῖδες, Romi filios. Verum de ipsius Romi ortu non vno modo sentiunt antiquitatis Scriptores. Apollodorus in Euxenide Romum Æneæ ac Lauiniæ credit filium: Alcinius, Albæ neptis Æneæ : Antigonus Italicæ Historiæ scriptor, Iouis : & anonymus quidam, Emathionis Regis Macedoniæ. Ximenez & Garibay, Hispanici Chronographi, forsan vt inde patriæ aliquid gloriæ concilient, Romum Testæ, Hispaniarum Regis, filium fuisse contendunt: affirmantque præterea eundem Romum alteram in Hispania ciuitatem condidisse, quam etiam de suo nomine Romam appellauit: sed priorem illam appellationem postea mutatam in Valentiam, quod veteribus Latinis idem esset *Valentia* ac Græcis Ρώμη, id est robur, virtus ac fortitudo. Et Cumanæ Historiæ scriptor, ea fortassis nisus vel deceptus synonimia, principio Romam *à viribus agentis* Valentiam vocatam fuisse scripsit, istudque nomen ab Euandro, qui cum magna Græcè loquentium turba in Italiam appulerat, in Romam postea conuersum.

Alij non à Romo, sed à Roma Romam nomen duxisse tradunt: sed quænam & qualis fuerit illa Roma, adeo variant qui de illius origine monumenta nobis reliquerunt,

vt ex iis aliquid certi vix possit asseuerari. Agathocles, Cisycenarum rerum scriptor, Ascanij; sed Fabius Pictor Itali filiam existimat. Pictori assentitur Cato: Scribit enim in suis Originibus Romam Itali filiam post Aborigenes Palatium tenuisse. Clinias Romam Telemachi filiam, Æneæque coniugem fuisse putat. Adeius, filiam Euandri: Marianus, Esculapij: Ocampus, Atlantis Kitini: Callias vero, rerum ab Agathocle gestarum scriptor, Latini Regis Aborigenum; quamuis sint qui autument non filiam, sed sororem Latini tantum fuisse, ac vtrumq; habuisse genitores Vlissem & Circen. Lembus Heraclides Romam fuisse arbitratur Iliensem quamdam mulierē, quæ dum Troiani regionem exploratum iuissent, sociis iactationis maritimæ pertæsis, vt naues, quibus in Italiam appulerant, exurerent suasit; quò nulla iis relicta vlterius nauigandi spe, in eo terrarum tractu considere cogerentur. Inueniuntur etiam qui asserant Romam fuisse illam insignem vatem, quæ ad sedem in ea Italiæ regione locandam suis speciosis prædictionibus Euandrum adduxit. Imò sunt qui affirment, nominis similitudine haud dubiè persuasi, Romam accepisse nomen à Roma, illa Nachoris concubina, de qua fit mentio Geneseos capite vigesimo secundo: Gaham, vnum ex eius concubinæ natis, ad Latinas oras appulsum, prima vrbis Romæ iecisse fundamenta, eamque proprio geni-

tricis vocabulo Romam appellaſſe.

Sextus Pompeius Feſtus, omnium veterum autoritates aſpernans, huius impoſitionis gloriam aſcribit Romulo, rationémque itidem profert, cur ille Priinceps Romam potius quam Romulam vrbem ſuam vocarit: *Romulus*, inquit, *eam nominauit Romam potius quam Romulam de nomine ſuo, vt ampliore vocabuli ſignificatione proſperiora patriæ ſua ominaretur.* Qua in re, ſi Feſto adhibenda ſit fides, ſatis prudenter egit Romulus: *Romula* enim diminutiuum eſt à *Roma*, ſicut à *bucca bucculа*, à *parua paruula.* *Roma* autem ſignificat. Excelſam & Fortem, vt tertio & ſeptimo Capitibus oſtendemus, & proprium diminutiuorum eſt primitiuorum diminuere ſignificationem. Ita vt ſi pro *Roma Romulam*, forticulam & ſubexcelſam tantummodo dixiſſet, hacque humili appellatione vrbi naſcenti humilem duntaxat fortunam eſſet ominatus. Quippe, iuxta vetus adagium, Nomen omen habet; bonum, ſi bonum; malum, ſi malum: Quoniam Auguſto occurrerat ruſticus quidam,
Glycas in Annal. nomine *Eutiches*, id eſt Felix, equitans in aſino, qui vocabatur *Nicos*, id eſt Victor, de duobus tam egregiis nominibus Imperator ille certiſſimam Victoriæ ſpem animo præſumpſit, alteraque die, licet hoſti viri-
Val. Max. l. 1. cap. 5. bus impar, cum eo auſus eſt congredi prælio, & illum vicit. Pompeius è contrario, in acie Pharſalica victus à Cęſare, fuga quæ-

rens ſalutem, quantumuis reparandæ fortunæ aliquantula reſtaret illi ſpes; ſolum quia in Cypro ſpecioſum quoddam conſpexit ædificium, nomine Κακοβασιλία, id eſt malum Regem, animo cecidit omnino, & quaſi à prauo rege, nimirum Ptolomeo, in quem ob infinita ei collata beneficia maiorem reſtaurationis ſpem reponebat, ſe proditum & occiſum iri præſentiens, dolorem quem ex diro nomine & omine conceperat, gemitu patefecit. Regilianus, quia regium nomen habuit, idcirco ab exercitu Rex & Imperator ſalutatus eſt, proprioque nomine adeptus eſt dignitatem, quam virtute & armis fortè non eſſet aſſecutus. Conſul Collatinus, etſi ad expulſionem Tarquinij plurimùm contuliſſet, quia nihilominus ſicut & ſuperbus ille dicebatur Tarquinius, ideo & Conſulatum remittere, & patriis ſedibus exire coactus eſt. Dubium igitur non eſt, quin nominandi, qualecunque ſit, ſiue homo, ſiue vrbs, aut aliud; permagni interſit bonum, egregium ac fortunatum nomen conſequi. Quippe nomen huiuſmodi ad egregia ſuſcipienda nominatum excitat, illique & Stellarum, & Fortunę ipſius beneuolentiam videtur conciliare. Quod cum probè noſſent antiquitatis ſapientes illi duo, Pythagoras & Plato, idcirco id conſilij dabant parentibus, vt filiis egregia ſemper nomina curarent imponi, quò ſcilicet egregiorum nominum frequentiſſima auditione ad recta

Treb. Pollio.

Flor. l.1. c.8.

vitæ vocarentur officia. Prauum enim nomen & turpe prauitate ac turpitudine sua animum, quantunvis excelsum, deprimit, illique paulatim propriam contagionem solet communicare, ita vt aliquid egregij aut molliri, aut cogitare non ausit, & Cœlum Fortunámque veluti pudeat aspectu benigno illum intueri. Cum itaque Romulus Romam potius quam Romulam suam nominauit Vrbem, probabile est eò illum respexisse, non solum vt patriæ fausto nomine omnia ominaretur fausta, sed vt Ciues, cum Romanorum, cum Excelsorum nomine audirent se compellari, assiduè cogitarent excelsa: vt cum Fortium vocabulo animaduerterent se esse insignitos, in pace, in bello, in prosperis, in aduersis, in omnibus fortes semper se præbere recordarentur, nihilque auderent molliri, quod tanti nominis splendorem obscurare, quod tanti vocabuli maiestatem deturpare posset.

Seruius ad hunc Maronis Æneidos primi locum,

Heic iam ter centum totos regnabitur annos
Gente sub Hectorea: donec Regina Sacerdos,
Marte grauis, geminã partu dabit Ilia prolem.
Inde Lupæ fuluo nutricis tegmine lætus,
Romulus excipiet gentẽ, & Mauortia condet
Mœnia, Romanosque suo de nomine dicet.

scribit illius Romæ primi Regis verum &

genuinum nomen fuiſſe Romum, & Romulum quodam blandimenti genere tantum dictum. *Remus*, inquit, *prior ſex vultures vidit, Romus poſtea duodecim; quæ res bellum creauit, in quo extinctus eſt Remus, & à Romi nomine Romani appellati: vt autem pro Romo Romulus diceretur, blandimenti genere factum eſt, quod gaudet diminutione.* Hæc Seruij ſententia probatu facilis eſt ex nomine gentis à Romulo conditæ. Si enim proprium eius nomen fuiſſet Romulus, cur & quomodo Vrbis incolas de ſuo nomine Romanos dixiſſet? Habita ratione vocabuli, ſeruatiſque Originum legibus, debuiſſet dicere vel Romulanos, vel Romuleos, vel Romulidas. Nulla quippe analogiæ ratio, (quod Virgilij pace ſit dictum) cur à *Romulo* deducatur *Romanus*, nec vllo prorſus modo poteſt conſiſtere talis etymologia, niſi quod de Ciuitate dixit Feſtus de Ciuibus etiam dictum intelligatur: Romulum videlicet ſuos nominaſſe Romanos potius quam Romulanos de ſuo nomine, vt ampliori vocabuli ſignificatione iis ominaretur proſperiora. Marianus verò, quem alio nomine, & quaſi per ſyncopen, quidam vocant Marinum, Romulum condidiſſe & nominaſſe Romam omnino negat: Imò probat multò ante Romulum Romam fuiſſe conditam, & ab ea nomen illum acquiſiuiſſe.

Quid plura? quot capita, tot de Romæ vocabulo ſententiæ. Nec ſolum de autore,

ſed & de tempore ipſo, quo vrbi iſtud nomen inditum eſt, vix aliquid certi poteſt decerni. Nam de nomine primario variant Scriptores; & vtrum ab initio illa Vrbs domina Romæ nomen, aut aliud quoddam obtinuerit, haud ſatis conſtat. Affirmat Feſtus ex Gergithio primò vocatam fuiſſe *Cephalon* à Teucro quodam, Æneæ comite, qui hoc appellatus eſt nomine. Plinius *Saturniam* quondam dictam tradit, idémque perhibet Ouidius Faſt. 6.

Lib. 3. cap. 6.

A patre dicta meo quondã Saturnia Roma eſt,
Hæc illi à Cœlo proxima terra fuit.

Ab Erithreo, Politiano, & aliis etiam annotatum præter *Romam* adhuc illi alia duo fuiſſe nomina: nimirum *Anthuſam*, id eſt, Florentem, à verbo ἀνθέω, quod Florere ſignificat: & *Amaryllida*, vel *ab amore*; vel, vt ait Nannius, ἀπὸ τῆ ἀμαρίδος, hoc eſt ab Incili; ab incilibus videlicet, quibus Argei campi palus ſiccata eſt: ſub quo poſtremo nomine à Virgilio ipſo celebratam fuiſſe memorat Seruius: Narrátque Solinus iſtud nomen apud Romanos & ſacrum & arcanum fuiſſe, nemini licitum tantum nomen euulgare, & Valerium Soranum, quod auſus eſſet illud prodere, capite plexum.

Solin. ib. 1.

Sed (mira res dictu) *Roma* nomen, ſicut & *Roma* vrbs ſuos æmulos & inimicos habuit: Nec per Neronem & Commodum Im-

peratores, nec per Ataulphum Gothorum Regem ſtetit, quominus illud omnino fuerit extinctum. Primus enim Romam de ſuo nomine *Neropolin*, alter quoque de ſuo *Commodianam*; tertius vero de nomine gentis *Gothiam* dici conſtituerat. Verum hæc, & alia quæ diximus, vocabula, licet Romæ & eius ſorti non incongrua, cum autoribus tamen ſepulta ſunt, almæque Vrbi ſolum Romæ ſuperfuit vocabulum. Sicut *Roma* Vrbs quaſcunque ſuperauit Vrbes, ita & *Roma* nomen alia quæcunque ſuperauit nomina; eaque ſuperauit, quoniam omnium validiſſimum ac fortiſſimum, vt quod ipſius Virtutis, quâ nihil validius aut fortius, proprium eſt vocabulum.



ROMA NOMEN ESSE *ex afflatu Dei, Deumque prouidere, non solum vt Electi electioni, sed vt & Sanctuaria sanctitati congrua habeant nomina.*

CAPVT II.

VNdecunque ortum sit *Roma*, & à quocunque Vrbium Reginæ istud nomen fuerit impositum, certum est illam nec augustius, nec sublimius, nec eminentius, nec fêlicioris ominis nomen obtinere potuisse, & quod eius fortunæ aut magnitudini rectiùs conuenire quiuisset. *Roma*, vt sequentibus Capitibus sumus ostensuri, significat *Excelsam*, *Fortem*, *Velocem*, *Gloriosam*, *Laudabilem*, *Matrem*, *Dominam* & *Fulminantem*: quæ cum sint epitheta super omnia epitheta, possumus dicere, si de vrbibus tantum habeatur ratio, *Romæ* esse nomen super omne nomen, nullamque vnquam vrbem tam glorioso nomine donatam, nec donandam. Et cum animaduerto quatuor duntaxat elementis, quibus constat *Roma*, totam pene ipsius Romæ historiam

contineri, de nomine tam admirabili nihil aliud mihi occurrit ſentiendum, niſi quod ab æterno Æterna Sapientia Romæ *Roma* nomen deſtinaſſet: quod ab ipſo Dei ſpiritu excitatus ſit, qui tam egregium impoſuit nomen: quod eo ipſo momento, quo Vrbis conditor naſcentem Vrbem nominare meditaretur, diuino impulſus ſit afflatu, vt hoc potius quam quoduis aliud nomen illi tribuere quodammodo coactus fuerit.

Ex Nominibus, ſecundum Platonem in Cratylo, alia ſunt diuina, alia humana. Diuina vocat diuinus ille Philoſophus illa nimirum nomina, quæ quoniam nominatis quàm rectiſſimè conueniunt, diuinitus videntur inſtituta: Et hoc ipſum eſt, quod ſignificare voluit eruditiſſimus Homerus, cum dixit Deos auem quamdam vocare *Chalciden*, vrbem *Baticam*, fluuium *Xantum*, Hectoris filium *Aſtyanacten*, quos homines vocabant *Cymindin*, *Myrinen*, *Scamandrum* & *Scamandrium.* Vniuerſalia rectè & congruę ſapienti facile eſt nominare, quippe ſapiens rerum vniuerſalium naturam & eſſentiam probè nouit: ſed ſingularia ſeu indiuidua, hunc nimirum aut illum hominem, hanc aut illam mulierem, hanc aut illam vrbem nomine nominare proprio, quod ſcilicet nominati moribus aut fortunæ conueniat, quodque illi euentura ſignificet, hoc opus, hic labor eſt.

Nam diuinare est nomen componere, quod sit
Fortuna, morum vel necis indicium.

Inquit Ausonius: & nisi diuinus interueniat afflatus, nullus mortalium hoc præstare posse sibi arroget. *Roma* augustius est nomen, nominatæque Vrbis & fortunæ & prærogatiuis nimis congruum, quam vt ab alio quam à Deo ipso potuerit imponi.

Deus ipse curat vt Angelis, vt hominibus, quos vocat ad aliquod peculiare munus seu ministerium, muneri & ministerio conuenientia sint nomina. Angelus, cuius munus est infirmos, & alios malè habentes curare, ideo vocatus *Raphaël*, quod interpretatur *Medicina Dei*, nimirum à radice *rapha*, id est *mederi*, *curare*, ac *sanare*; & *El*, quod primum Dei nomen est apud Hebræos. Quia igitur Raphaël secundum nomen est medicina Dei, cum Tobias senex factus esset cæcus, & Sara Raguelis filia malè cruciaretur à Dæmone, qui iam illi septem occiderat maritos; Idcirco, ait Scriptura, *Missus est Angelus Domini, sanctus Raphaël, vt eos curaret ambos*. Mox ingressus domum Tobiæ, & quasi in ipso limine, pristinam breui restituere salutem illi pollicetur; *Forti animo esto, in proximo est, vt à Deo cureris.* Tobiam, Tobiæ filium, Rages proficiscentem comitatur, vt in tam longinqua peregrinatione sit illi non solum ductor, sed &

RAPHAEL.

Tob. 3.

Tob. 5.

medicus ac medicina; *Ego ſanum ducam, & ſanum tibi reducam filium tuum.* In itinere, tanquam eruditiſſimus ac intelligentiſſimus medicus, quamplurima & reconditiſſima Medicinæ arcana comitem docet; *Exentera piſcem hunc, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi; ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter.* Et quia, vt iam diximus, Raphaël eſt medicina Dei, ideo ſcribunt Patres hunc Angelum curaſſe plagam, quam in circuncifione Chriſtus accepit.

Tob. 5.

Tob. 6.

Angelus, nuntiuſve Incarnationis Dominicæ; vocatus *Gabriel*, id eſt, *Vir Deus*; non ſolum quod à creatione mundi delectus eſſet legatus, qui omnes omnino de Verbi Incarnatione in mundum legationes obiret; ſed etiam vt proprio nomine rationem miſteriúmque ſuæ legationis præferret; vt Chriſti duplicem declararet naturam, diuinam ſcilicet & humanam, vtque Legati miſſi & Regis mittentis, & Regis naſcituri exprimeretur vocabulum, nimirum *Emmanuel*, quod interpretatur *Nobiſcum Deus.* Vnde Proculus Epiſcopus in Homilia Conſtantinopoli habita coram Neſtorio, ad ipſum Neſtorium ſermonem conuertens: *Reuerere*, inquit, *nomen Archangeli, qui nuntium illum lætiſſimum apportauit Mariæ, qui Gabriel eſt appellatus, dictus Gabriel, id eſt, Homo-Deus, nomine ipſo ſignificans nuntium, quem apportat; quoniam is quem euangelizat, Chri-*

GABRIEL.

ſtus Deus & Homo erat naſciturus.

Præcipit Dominus Abram, ne vltra vocetur *Abram*, id eſt, Pater excelſus, ſed *Abraham*, id eſt Pater excelſæ multitudinis, quoniam multarum gentium patrem conſtituerat eum. Præcipit quoque, ne amplius vxorem vocet *Saraï*, id eſt Dominam meã, ſeu Dominam domus meæ, vt exponit Hieronymus; ſed *Sarah*, id eſt, abſolutè Dominam, Abram in Abraham, & Sarai in Sarah commutans, vtrique addito *He*, quæ eſt litera Verbi in ſancto & ineffabili Tetragrammato, vt dilatandus genere nomine ante dilataretur, inquit Petrus Chryſologus; vt & ipſa ante creſceret nomine quam creſceret pignore: vt Chriſti, qui ſecundum carnem ex iis eſſet naſciturus, ſymbolum teſſeramque propriis exhiberent vocabulis, ac in amborum nomine ſicut in carne eſſet Domini pactum in fœdus æternum. Vult vt vocetur *Iſaac* filius, quem paritura eſt Sarah; Quoniam Iſaac ſignificat Riſum, & ex eo riſus filio, aut ſaltem ex eius ſemine oriundus eſſet Chriſtus, Angelorum atque hominum riſus, gaudium & exultatio.

ABRAHAM. SARAH. Serm.51. ISAAC.

Iacob cum eſſet in caſtris, à veſpere vſque mane cum Angelo luctatus, iubetur ab eo, vt nequáquam appelletur nomen eius *Iacob*, id eſt Supplantator, ſed *Iſraël*, id eſt Præualens Deo; *quoniam*, ſubiungit diuinus Athleta, *Si contra Deũ fortis fuiſti, quanto magis contra homines præualebis?*

ISRAEL. Gen.32.

Tribus circiter sæculis antequam nasceretur pius ille Rex, qui abominationes, quas fecerant Israël & Iudæ Reges, erat ablaturus, Ieroboam per Prophetam significat promisso Regi fore nomen *Iosias*, id est, Ignis Domini: *Altare, altare! Hæc dicit Dominus: Ecce filius nascetur domui Dauid, Iosias nomine, & immolabit super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura succendunt, & ossa hominum super te incendet*: quoniam quasi ignis Domini, è cœlo emissus, idolorum excelsa, fana, lucos, altaria ac Sacerdotes combusturus esset. 3. Reg. 13. 4. Reg. 23.

Vult vt filius vocetur Iesvs, id est Hebraïcè Salvator, & Græcè *Medicus*, præcipítque per Angelum Gabrielem, & Mariæ & Iosepho, vt illum hoc & non alio appellent vocabulo, *vocabis nomen eius Iesum*; quod secundum nomen, & iuxta Prophetarum vaticinia, esset Deus saluans & sanans, venirétque in mundum & Saluator & Medicus: Saluator, vt populum suum saluaret à peccatis eorum: Medicus, vt Naturæ humanæ, iam à tot sæculis malè habentis omnes languores ac infirmitates curaret. IESVS. Matt. 1. Luc 1. Isa. 45. Isa. 62. Zacch 9. Matt. 4. Matt. 9.

Vult vt Filij Præcursoris nomen sit *Ioannes*, id est Gratiosus, seu qui habet gratiam, & in quo residet ipsamet gratia, tanquam in proprio domicilio; & non *Zacharias*, vt instabant vicini & cognati, licet Genitoris esset vocabulum. Illud Domini decre- Luc. 1. IOANNES.

tum voce ſignificauit Mater, vt audirent præſentes; *Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes*: Scripto euulgauit Pater, vt legerent abſentes; *& poſtulans pugillarem, ſcripſit dicens, Ioannes eſt nomen eius.* Ioannis nomen, gratiæ vocabulum proculdubiò debebatur filio, qui gratiæ tantum erat filius, qui ab vtero completus gratia, quique præ cæteris cunctis hominibus apud Dominum tantam inuenerat gratiam, vt Chriſti Domini, omnium gratiarum fontis & originis, præcurſoris primique legati munere fungi meritus ſit. Vnde ipſe Ioannes de ſeipſo dicit apud Iſaiam; *Dominus ab vtero vocauit*
Iſai. 49. *me, & de ventre matris meæ recordatus eſt nominis mei.* Verè Ioannes gratiæ filius, non carnis, ac mera Dei gratia, non partu effectum eſt, vt ex hominibus naſceretur Angelus Domini; vt pareret in ſenectute,
Luc. 1. quæ in iuuentute fuerat ſterilis, aperireturque os & lingua eius, qui iam à nouem menſibus permanſerat mutus.

MARIA. Vult vt Filij Genitrix MARIÆ nomen obtineat: & licet de hac impoſitione Scriptura nullam faciat mentionem, arbitrantur tamen Baronius & Ribadeneyra, eundem nuntium, qui Mariæ & Ioſepho IESV nomen, qui Zachariæ & Elizabethæ *Ioannis* vocabulum reuelauit, Ioachimo & Annæ etiam præcipiſſe, vt nominarent *Mariam* Virginem, quæ tanti Filij Mater eſſet electa. Rabbi Haccados, ante Chriſtum Hebræorũ

Doctor

celeberrimus ac ſanctiſſimus, Meſſiæ genitricem nuncupandam *Mariam* conceptis verbis aſſerit: idque probat ex principio ſeptimi verſus Capitis noni Prophetiarum Iſaiæ, quod Hebraïcè ſic habet, *Lemarbeh hamiſrat*, id eſt, ſecundum vulgarem verſionem; *Multiplicabitur eius imperium*: cuius textus ſi Metatheſi leguntur elementa, reddunt *Miriam Sara*, id eſt, *Maria Domina*, poſitis ſcilicet duobus *He*, qui ſunt in *Lemarbeh hamiſrat*, pró *Iod*, quod eſt in *Miriam*: Valet enim *He* quinque, & bis quinque faciunt decem, numerum per *Iod* ſignificatum: vt nimirum indicaretur Mariam, Matrem Meſſiæ, fore Dominam Vniuerſi, ſimúlque cum principatu Meſſiæ eius principatum multiplicandum. Addit præterea Mariam permanſuram Virginem, Iuſtitiæ doctorem parituram, iuxta Ioëlis vaticinium, & tanti Doctoris ſignum fore *Tau*: eaque tria myſteria ſignificari per tres literas quæ ſuperſunt, nimirum *Beth*, *Lamed*, & *Tau*. Prima enim vtuntur Hebræi, vt ſignificent *Bethul*, id eſt, Virgo, quod *Beth* huius nominis inceptiuum ſit elementum. Per alteram intelligunt *Doctorem*, quoniam eorum linguâ *Lamed*, ſignificat doctrinam. Vltima vero Chriſti ipſius expreſſum eſt ſignum, quo ſignantur qui ab eo ſunt electi, vt habetur Ezechielis nono; *Signa Tau ſuper frontes virorum gementium, &c.* Hanc Haccadi coniecturam confirmat, quod de Argonautis ſcribit Cedrenus. At,

gonautæ, inquit, tempore quo Iudices Populo Iſraëlitico præfuerunt, cum Iaſone, Theſſalo, Poluce, Hyla, Telamone ac reliquis in Colchidem nauigauerunt, qui cum per fauces in Ponticum mare tranſire vellent, Cyzicum, Helleſponti Dominum, nauali prælio ipſos prohibere conantem interfecerunt, ac Cyzicum, vrbem Helleſponti primariam, ceperunt. Mox cognito Cyzicum ſibi genere propinquum fuiſſe, veniâ poſtulatâ, templum condidere, atque ad oraculum, quod eſt ante Pithias thermas profecti, Phœbum Apollinem rogauerunt, vt ſibi ediceret, cui ea ædes conſecranda eſſet, reſponſum iis eſt in hanc ſententiam:

Aßidua ſublime decus virtute parate,
Atque vnum, ſic mando, Deum, qui cuncta gubernat,
Cœleſti reſidens ſolio, colite atque timete.
Illius æternum natum anteque ſæcula Verbum,
Neſcia Virgo Viri quondam partu tenera edet,
Qui velut igniferis impulſa ſagitta procellis,
Edomitum reddet Patri pro munere mundum.
Huius, quam Mariæ nomen manet, alma genitrix
Agnoſcet templum proprium, ſibi ritè dicatum.

Licet autem Haccadi autoritas, licet Cedreni teſtimonium, licet Baronij ſenſus, licet Ribadeneyræ iudicium non conſideretur, credibile tamen eſt, imo credendum, MARIÆ vo-

cabulum nomen esse ex Dei ipsius impositione. Hoc fatetur, hoc agnoscit doctissimus Idiota libro suarum Contemplationum de Virgine, capite quinto, vbi cum Virgine loquens, sic ait: *Dedit tibi, Maria, tota Trinitas nomen, quod post nomen Filij tui est super omne nomen, vt in nomine tuo omne genuflectatur, cœlestium, terrestrium, & infernorum. Hoc nomen super omnia Sanctorum nomina reficit lapsos, sanat languidos, illuminat cœcos, penetrat duros, vngit agonistas, jugum diaboli extrudit. Tantæ virtutis & excellentiæ est, vt ad eius inuocationem cœlum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, dæmones contremiscant, & infernus conturbetur.* Et rectè quidem Idiota. Si enim Deus voluit nominare, non dico Filium, sed eius Præcursorem, quænam ratio potest afferri aut excogitari, cur Præcursore Filij nominato, Matrem hominibus nominandam voluisset relinquere? Dignior nempe Mater Nuntio aut Præcursore; essétque summi prouidentis prouidentiæ quid iniuriosum dicere, Deum de ventre Matris recordatum nominis Præcursoris, & oblitum esse nomen Genitricis. Ad hæc: *Maria* augustius est nomen, nominatóque conuenientius, quam vt ab alio quam à Deo potuerit primo pronuntiari. Siquidem *Maria* significat Dominam, Magistram, Exaltatam, Illuminatricem, Stellam maris, Mare amarum seu Amaritudinis Mare; imò mare ipsum, (*Mare*

enim in plurali facit *Maria*, quod eſt Mariæ nomen) & ſecundum quoſdam Spiraculum: quæ omnes voces ſeu epitheta ſunt ſigna prærogatiuarum, quibus Chriſti genitrix decoranda fuit; ſymboláque ſimilitudinis, quę inter tantum Filium & tantam Matrem inuenta eſt.

I. Filius Dominus qui dominantium ſupremus eſt Dominator, haud dubiè Matrem poſtulabat Dominam. Quia igitur Chriſtus Dominus, & Dominus noſter, ideo & Maria eſt Domina, & Domina noſtra. Ab Eccleſia hoc ſalutatur nomine: Ita ab Athanaſio, à Baſilio, à Iacobo & Chryſoſtomo in ſuis Liturgiis, Δέσποινα ἡμῶν: Ita à Gallis, *Noſtre Dame*: Ita ab Hiſpanis, *Nueſtra Señora*: Ita ab Italis, *la Madonna*: Nec ſolum hominum, imò & Angelorum Domina Cœlique Regina. Reginam Eſter, cum adiit Regem Aſſuerum, duæ comitabantur ancillæ, quarum vna Dominam ſequebatur, defluentia veſtimenta colligens; alteri ipſa Eſter præ deliciis innitebatur: iſque duplex comitatus, ſecundum Bonauenturam, duplicis Mariæ Dominationis, in naturam ſcilicet Humanam & Naturam Angelicam, perfectus fuit typus: *Duæ*, inquit, *ancillæ, quarum Domina eſt Regina Maria, ſunt Angelica & Humana creatura. Humana eſt famula illa, quæ ſequitur Dominam ſuam, in mundo colligens veſtimenta dominæ, hoc eſt virtutes & exempla Mariæ: Angelica vero eſt illa altera, ſu-*

D. Bonauent. in ſpeculo Virg.

per quam in Cælo innititur. Et rectè quidem Bonauentura; quidni enim ſuper Angelicam naturam innitatur ea, quæ ſuper ipſum dilectum innixa graditur? *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, deliciis affluens, & innixa ſuper dilectum ſuum?* Cant. 8.

II. Filius Magiſter, & qui vt homines doceret Magiſter veniebat in mundum, Matre Magiſtra opus habebat. Chriſtus Magiſter, Maria Magiſtra. Ideo Ignatius Mariam vocat Magiſtram noſtræ religionis: Ideo Rupertus Magiſtrorum Magiſtram illam appellat, ac meritò: Nam, vt dicit Hieronymus, Maria Apoſtolos & Euangeliſtas, qui tot erant magiſtri, de multis myſteriis, quæ illos latebant, informauit.

III. Filius exaltatus Matrem poſcebat exaltatam. Chriſtus exaltatus à Patre, quia ſeipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens; quia humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem. Maria exaltata, quia ſe humiliauit ſicut & Chriſtus, ancillæ nomen ſibi arrogans, *Ecce ancilla Domini*; eo ſcilicet tempore, quo nomine Domini illam ſalutauit cœleſtis nuntius: vnde de ſeipſa poſtea cecinit in Cantico, *quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* In humiliatione autem in venit exaltationem: Eo enim momento, quo ſe Domini ancillam profeſſa eſt, *Ecce ancilla Domini*, ſtatim facta eſt Domina, locutáque cum Angelo tanquam Domina; *Fiat*

Phil. 2.

Luc. 1.

mihi secundum verbum tuum : hoc imperatiuo sermone significans eam esse veram dominam, meritóque ac iure dominæ titulum sibi vendicare, quæ est ancilla Domini, cum hoc seruitutis genus quoduis sublimius superet imperium.

IV. Filius, lux hominum, lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, imò ipsius mundi lux, lucis quoque Matrem habere debuit; Matrem illuminatricem, quæ sicut Filius miraculis, ita & toti mundo illuceret meritis & exemplis; vt dicit Diuus Bernardus, qui idcirco Mariam appellat Euangelistarum illuminatricem.

Apoc.22. V. Christus, luminare maius, quod præ
Malach. est diei, id est iustis: Christus Stella, stella
4. splendida & matutina; imò Sol Iustitiæ, qui hominibus nomen Domini timentibus ortus est. Maria quoque luminare, sed luminare minus, quod præ est nocti, id est peccatoribus, quorum ipsa est aduocata. Maria Stel-
Num.24. la, Stella orta de Iacob, Aurora consurgens,
Cant. 6. pulchra vt Luna, electa vt Sol, fons vnde ortus est Sol Iustitiæ Christus Deus noster: Fenestra Cœli, vt dicit Fulgentius, sermone de Laudibus Mariæ, per quam Deus verum fudit sęculis lumen, per quam vniuersa è Cœlo lux vniuersis communicatur mortalibus. Maria Stella maris, vt canit Ecclesia, ad cuius lumen proram dirigunt fideles; qui per procellosa huius vitæ Maria nauigant, vbi tot prædantur pyratæ, vbi tot occurrunt Syr-

tes, vbi tot inueniuntur Carybdes & Syllæ, in quas singulis horis impingerent nauigantes, naufragiúmque facerent, nisi Maria Stella eos antecederet, nisi Maria seipsam gereret nauclerum, nisi aduersus prędones exhiberet se protectricem, nisi navis ipsa teneret gubernaculum, ac in salutis portum eum curaret dirigere. Vnde dicit Diuus Bernardus: *Nomen Virginis Mariæ, quod interpretatum Maris Stella dicitur: Ipsa est præclara & eximia Stella, super hoc mare magnum & spatiosum subleuata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius seculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare quam per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis: respice Stellam, voca Mariam.* Bern. Hom. 2. de B. Virgine.

VI. Iesus Medicus in mundum magnus venit Medicus, vt sanaret mundum qui iacebat ægrotus. Maria Myrrha electa, Cinnamomum aromatizans, odoris dedit suauitatem, & ex ea Filius, supremus Medicus, per Incarnationem in eius vtero sibi confecit pretiosum illud balsamum, quo nostra curauit vulnera; sacram illam theriacam, sacrum illud antidoton, sanctum illud alexipharmacon, quo à mortifero Draconis toxico nos feliciter conseruauit. Ideò de illa dicit Sponsus; *Vadam ad montem Myrrhæ & ad Collem thuris: Odor vnguentorum super omnia aromata: Messui Myrrham meam cum aromati-*

Eccl. 24. Cant. 4. Cant. 5.

bus meis. Ideo de seipsa ipsamet dicit Sponso; *Manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni sunt myrrha probatissima.*

Cant. 5.

VII. Christus est mare immensum, mare Angelis iucundum, iustisque semper placidum; mare illud vitreum, super quod Apostolus vidit stantes eos qui vicerant bestiam, & imaginem eius, & numerum nominis eius, habentes cytharas, & cantantes Canticum Moysis serui Dei, & Canticum Agni. Sed dæmonibus ac peccatoribus amarum est mare, omninoque procellosum. Sicut enim in mari rubro Pharao cum equitibus, ita & in Christi mari Dæmon cum peccatis submergitur: in Baptismo scilicet, quem ideo Paulus comparat mari rubro, vnde submersis Egyptiis incolumes euaserunt Hebræi; *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptisati sunt in nube & mari*: quam similitudinem etiam vsurpauit Origenes, cum dixit; *Tu baptizaris in Christo, in aqua & Spiritu sancto, scias insectari post te Ægyptios, id est spirituales nequitias, sed tu descendis in aquam, & euadis incolumis; Ægyptij vero sequentes demerguntur in abyssum.* Maria sicut & Christus etiam mare est, mare totius gratiæ, in quod fluunt omnia gratiarum flumina, in quo virtutum conuentus reuerendum sibi consecrauit thalamum. Sicut enim præcepit Deus, vt congregarentur aquæ in locum vnum, congregationésque aquarum ap-

Apoc. 4.

1. Cor. 10.

Orig. Hom. 5. in Exod.

Petrus Dam. ser. in Assu. Virg.

pellauit Maria; ita & voluit, vt omnes gratiæ in Virgine congregarentur, & gratiarum omnium congregationes Maria dicerentur: Ad quod probandum affert Diuus Bonauentura istud Ecclesiástici; *Omnia flumina intrāt in mare: Omnia,* inquit, *flumina, id est omnes gratiæ, intrant in Mariam, flumen gratiæ Angelorum, flumen gratiæ Patriarcharum, flumen gratiæ Apostolorum, flumen gratiæ Martyrum, flumen gratiæ Confessorum, &c.* Sicut autem Mare rubrum Pharaoni fuit amarum, quod in eó perierit cum exercitu, ita & Maria Draconi, illi scilicet magno serpenti, qui dicitur Diabolus & Satanas, verè fuit amarum mare, per eam enim oppressus est cum suis Angelis, illique caput contritum, vt Deus ipse post creationem ipsimet prædixerat Draconi, *ipsa conteret caput tuum.* Eccl. 17. Bonau. in spec. Virg. Apoc. 12. Gen. 3.

VIII. Doloris filius, cuius dolori nunquam fuit par dolor: amaritudinis filius, cui in Cruce vinum cum felle mixtum bibendum propinauerunt, cui dederunt inescam fel, & quem in siti sua potauerunt aceto, doloris quoque & amaritudinis obtinuit Matrem, cuius animam doloris gladius pertransiuit, iuxta Simeonis vaticinium; & ita pertransiuit, vt Hieronymus & Anselmus asseuerent Mariam dolorum magnitudine omnes omnino Martyres superasse: Vnde nomine illius exclamat Propheta; *Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens.* Ierem. 8. Thren. 2. Mat. 27. Psal. 68. Iere 8.

IX. Christus spiraculum, spiraculum vitæ

per quod ſpiramus, & in quo, ſecundum Apoſtolum, viuimus, mouemur & ſumus.
Thre. 4. Ideò Propheta vocat Chriſtum *Spiritum oris noſtri*, & rectè: Sicut enim non poteſt aliquis viuere, ſi illi halitus omnis & reſpiratio impediatur; ita ablato nobis Chriſti auxilio ſpiritualiter non poſſumus viuere, quoniam ipſemet eſt ſpiritus oris noſtri, &
Prou. 20. halitus ipſe quo reſpiramus & viuimus. Maria ſpiraculum, ſpiraculum hominis, ſpiraculum peccatoris, per quod, vt dicit Idiota, in ſpe veniæ & gratiæ reſpirat peccator. Sublato enim Virginis patrocinio, perinde atque anhelitu intercluſo, peccator diutius non poteſt viuere.

Lib. Cont. de Virg. cap. 5.

PETRVS. Chriſtus ipſe Principis Apoſtolorum nomen, quod erat *Simon*, in *Cepham*, id eſt, *Petrum*, commutari voluit; *Tu es Simon, filius Iona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*: huiuſque mutationis Simoni
Ioan. 1.
Mat. 16. ipſi dat rationem; *Ego dico tibi quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Cephas*, iuxta Hieronymum & Optatum, Syriacè ſignificat *Petram*, Græcè *Caput*. Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ: *Petra* vnum eſt ex celeberrimis ipſius Chriſti nominibus, quo nihil frequentius in Scripturis, quodque illi etiam tribuitur à Sibylla, quæ illum vocat καλὸν λιθὸν, id eſt, lapidem pulchrum & bonum, ſeu felicem, vt vertit Caſtalio:

Tunc erit indicium subito mortalibus agris, Sibyll. Orac. lib. 1.
Cum lapis Ægypti fœlix seruatus ab oris
Venerit.

Quia igitur Christus est Caput Ecclesiæ, illiusque Petra angularis & fundamentum, ideo suam dignitatem suumque ipsius nomen communicauit Simoni; ideò Petrum id quod ipse erat voluit nominari, vt assumptas in consortium vnitatis indiuiduæ suo loco esset Petra, fundamentum & Caput Ecclesiæ vniuersæ. D. Leo. Rectè dicit Ambrosius, *Quia Petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus, vt qui cum Domino fidei societatem habebat, cũ Domino haberet Dominici nominis vnitatẽ.* Hom. 48. Noluit illum amplius vocari Simonem, quoniã *Simon* significat *Obediens*; Obediens autem nomen erat indecens Apostolo, qui Apostolorum Princeps, qui discipulorum Coryphæus, qui fidelium cœtus vertex, qui ouium Domini supremus Pastor, qui Ecclesiæ Caput, qui Christi Domini Summus Vicarius erat electus; ideóque nulli obedientiam præstiturus, nisi ipsi Christo, cuius erat Vicarius, Luc. 22. nec ab alio iudicandus quam à Domino, qui eum constituerat summum dispensatorem super familiam suam.

Primus Martyr vocatus *Stephanus*, id est, *Corona*, qui vt primus meruit pro Christi nomine subire conflictum, ita & omnium Christi militum martyrij coronam primus meruit consequi. Quid plura? Hoc habent merita STEPHANVS.

In Luc. cap. 1. Sanctorum, ait Ambrosius, vt à Deo nomen accipiant.

Nec solum Deo curæ est vt sancti & electi sanctitati & electioni congruentia habeant nomina, sed & loci ipsi, quos vult sanctificari, & quos elegit in Sanctuaria. Ideo Ciuitas, quæ prius *Luza*, vocata *Bethel*, id est Domus Dei, quod illic Iacob in somnis viderit scalam, cui innitebatur Dominus, & per quam ascendebant Angeli: quoniam in eo loco altare erexit Domino, lapidémque illi consecrauit in Domum; quasi Ecclesiæ Christi, quæ est vera Domus Dei, typum ex tunc voluisset adumbrare.

BETHEL. Gen. 28.

Ideo Ciuitas, in qua conceptus & incarnatus est vnicus Dei Filius, vocata *Nazareth*, id est Sanctificata & Separata, si scribatur per *Zain*; Florens, Coronata & Custodita, si per *Thsade*. *Sanctificata Nazareth*, quoniam in terra sanctificata partem suam possessurus erat Dominus: quoniam in Ciuitate sanctificata, in sanctificato scilicet sanctificatæ Virginis vtero, tabernaculum sanctificauit Altissimus, & Sapientia Æterna in Ciuitate sanctificata similiter requieuit: quoniam Nazareus Nazareorum, quoniam sanctificatus sanctificatorum, quoniam Sanctus Sanctorum illic seipsum sanctificauit, vt nos essemus sanctificati. Et quia Nazareth in Incarnationis sanctuarium, suique ipsius præcipuum in terris domicilium sibi selegerat Dominus, æquú & iustum fuit, vt sanctificata esset illa domus,

NAZARETH. Zacch. 2. Psal. 45. Eccl. 24. Ioan. 17.

quæ tam ſanctum excepit Dominum : Scriptum eſt enim , *Domum tuam decet ſanctitudo Domine*; dedecuiſſétque eum, qui eſt ipſa ſanctitas, & in cuius manu ſunt omnes ſancti, habitare in domo quæ non fuiſſet ſanctiſſima. Pſal. 92. Deut. 33.

Separata Nazareth, Mariæ ſcilicet & Ioſephi ſanctificata illa domus, in qua Incarnatus eſt Chriſtus ſanctiſſimus : ſeparata à propriis fundamentis, ſeparata ab Angelis, qui ne ab Infidelibus pollueretur tam Sanctum Sanctuarium , ex oppido Nazareth in agrum Picenum, fidelium ſolum, iuſſu Domini tranſtulere.

Florida Nazareth, quippe in ea floruit Virga Aaron, illic egreſſa eſt Virga de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendit, ſuper quem requieuit Spiritus Domini : Quippe fuit lectulus floridus, in quem Sponſa, vt ſecum requieſceret, iuuitauit Sponſum. Et quia Florida Nazareth, ideo & *Coronata*. Coronata fragrantiſſimis floribus , ac tam floridè coronata, vt de illa poſſit dici iſtud Sapientiæ, *In perpetuum Coronata triumphat*: Eius ënim Corona eſt Chriſtus ipſe, flos qui de Virgæ Ieſſe aſcendit radice. Et quia triumphat, & eſt veluti arcus triumphalis, quâ toties ingreſſi & egreſſi ſunt Chriſtus Victor & Maria Victrix, ideo *Laureti* aſſignata eſt illi ſedes , vt ſcilicet lauris abundet omni tempore, quibus ipſamet appareat redimita, quibuſque tanti Victores laureas Iſai. 11. Cant. 1. Sap. 4.

commodiùs ſibi poſſint contexere.

Cuſtodita Nazareth, ſacra videlicet illa domus, in qua Maria, ſanctiſſima Virgo de Spiritu ſancto cóncepit Saluatorem: Cuſtodita ab Angelo Gabriele, illius perpetuo cuſtode electo: Cuſtodita à Domino ipſo, quem zelus tam ſanctæ domus comedit omni tempore: Cuſtodita tam ſollicitè, vt ex ea ne minimum lapillum ab vllo, licet deuoto, vnquã ſiverit auferri; vt miſere perierint omnes impij, qui in illius ſacratiſſimi adyti damnum aliquid auſi ſunt moliri.

Ioan. 2.

Ideò Ciuitas, in qua natus eſt Ieſus, vocata *Bethlehem*, id eſt Domus Panis, quod in terra illa Vrbs, poſt Virginis genitricis vterum, fuit prima Domus Chriſti Domini, qui eſt Panis Angelorum, Panis cœleſtis, panis ſuperſubſtantialis, panis vitæ qui de cœlo deſcendit, ſicut de ſeipſo ipſemet poſtea dixit; *Ego ſum panis vitæ; qui venit ad me non eſuriet: Ego ſum panis viuus, qui de Cœlo deſcendi*; vtque cantat ad Eccleſia; *Ecce panis Angelorum, ecce cibus viatorum, &c.* Quoniam vero, vt ſcribit Goropius in ſua Hermathena, *Bethlehem* ferè idem eſt ac *Bethlamb*, quod Cimbrorum ac Germanorum linguâ ſignificat, lectum Agni, ideò natalis illa Chriſti Ciuitas *Bethlehem* & *Bethlamb* obtinuit nomina, quia vt prima fuit domus Chriſti Panis, ita & fuit etiam primus lectus Chriſti Agni: primæ cunæ, in quas fuit repoſitus Agnus Dei, qui tollit peccata mundi:

BETHLEHEM

Ioan. 6.

Ioan. 1.

primum cubile, in quo iacuit Agnus, terræ Isai.16.
Dominator: primus thorus, in quo requieuit Agnus, qui quoniam esset Dominus dominantium, & Rex regum, omnes mundi Apoc.17.
deuicit potestates.

Ideò Ciuitas, in qua mortuus & sepultus IERVSALEM.
Saluator, vocata prius *Iebus*, id est Conculcatio; postea *Salem*, id est Pax; postremò *Ierusalem*, id est Visio Pacis; quia, vt dicit Hieronymus, Paulę & Eustochij nomine ad Marcellam scribens, paulatim peruenimus ad finem, & post conculcationem ad pacis visionem erigimur, sicut obtigit huic vrbi, quæ ex quo *Salomon*, id est pacificus, in ea natus est, factus est in pace locus eius: quia Psal.75.
inibi, pręsertim prędicationis & signorum tempore, sæpius quam alibi visus est Christus, Deus Pacis, in cuius virtute facta est pax inter Deum & Homines; Princeps pacis, Psal.121. Matt 9.
qui ante omnia hoc à suis exigit obsequium, vt pacem habeant inter se; Pater pacis, cu- Mat.5.
ius Patris qui volunt vocari Filij, & Filij beati, debent esse pacifici: quia illic passus est, qui est pax nostra, & reconciliatio no- Eccl.44.
stra in tempore iracundiæ; qui est pax ipsa, Mich.5.
pax hominibus bonæ voluntatis; Pax omniũ Luc.1. Rom.5.
qui crediderunt in eum, per cuius mortem 2.Cor.5.
Deo sumus reconciliati, & Deus nobis reconciliatus est. Sed quia Ierusalem Iesum, Legatum paciferum, Patris Æterni Plenipotentiarium, supremúmque inter Deum & Homines Pacis mediatorem, audire noluit,

nec pacis ſubire conditiones, ideò pax receſſit ab ea, nec fuit amplius in pace locus eius, ſed in bello; bello tam cruento, vt in vltimo, quod contra Romanos ſuſtinere voluit, perierint ſuorum duodecies centena millia. Ex *Salem* & *Ieruſalem* facta eſt iterum *Iebus*: Ex pace & pacis viſione facta eſt miſera, luctuoſa ac deploranda conculcatio. Quia ſuperba & contumax auſa eſt conculcare principem pacis, qui illi benignus pacem attulerat, obtulerat & prædicauerat; quique ſingulis diebus in plateis, in ædibus, in templo pacem ipſam exhibuerat conſpiciendam, ideò conculcauit eam Dominus; conculcauit eam Veſpaſianus; conculcauit eam Titus, Chriſti Ieſu mortis vltor præcipuus, furoriſque Domini maximus miniſter; eius muros adæquauit ſolo, eius ædes redegit in cineres, eius ciues internecione deleuit; & miſeri, qui tantæ calamitati ſuperfuere, in ſeruitutem morte ipſa duriorem adacti ſunt.

GOLGOTHA. Ideo appellatus *Golgotha*, id eſt Caluaria, mons ille vbi Dominus Ieſus Chriſtus fuit Crucifixus; quoniam, vt dicit Hieronymus, nomine Paulæ & Euſtochij Marcellam adhortans, vt relictâ Româ ad ſancta loca ſe conferat, ibi eſſet antiqui hominis Caluaria; vt ſecundi Adam, id eſt Chriſti, ſanguis de Cruce ſtillans, primi Adam & iacentis protoplaſti peccata dilueret, & tunc ſermo
Eph. 5. ille Apoſtoli compleretur; *Excitare qui dor-*

dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus: Vtque, addit Blasius Viegas, ipsa sanguinis Christi cum Adami capite coniunctio totius generis humani, quod ab Adamo tanquam capite descendit, ablutionem & pro peccato satisfactionem declararet, quæ passione Christi continebatur. Vnde optimè dicit Tertullianus: Vieg. in Apo. cap. 12. sect. 15. Lib. 2. Carm. cont. Marc.

Hic hominem primum suscepimus esse sepultum.
Hic patitur Christus, pro sanguine terra madescit,
Puluis Adæ vt possit veteris cum sanguine Christi
Commixtus stillantis aquæ virtute lauari.

Ideo Vrbs, quæ Caput Mundi, quæ Orbis Christiani Metropolis, quæ Ecclesiæ Catholicæ constituta est Sedes, vocata *Roma*, id est Hebraïcè *Excelsa*, & Græcè *Fortis*, seu *Fortitudo*; meritóque tanto donata est nomine: Excelsis quippe viribus opus fuit Ciuitati illi: ROMA.

Quæ tantum alias inter caput extulit Vrbes,
Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi:

Quæ virtutis excelsitate totum orbem suo subiecit imperio; quæ fortitudinis sublimitate Dei Altissimi ac Fortissimi facta est Ecclesia & Sponsa; & cui denique, tanquam

fottiſſimæ, in terris aduerſus inferorum poteſtates fortiter ac indeſinenter militandum erit, donec cum Chriſto Sponſo in æternum triumphet in Cœlis.

Licet ex Dei afflatu non eſſent nominatæ Vrbes, vbi conceptus, vbi natus, vbi paſſus eſt vnicus eius filius, veriſimile tamen eſt ſimili honore Romam præcipuè voluiſſe afficere. Eccleſia enim eſt Sponſa Chriſti, & Roma ipſamet Eccleſia eſt. Quæ autem ratio, cur Dominus nominato Præcurſore, cur nominato Oeconomo, filij Sponſam ex ſolo hominum arbitrio nominari ſiuiſſet? Quò Nuntio & Vicario charior eſt Sponſa, eò maiorem idcirco de nominanda Sponſa curam habuiſſe, licet non ex fide, ex pietate tamen & reuerentia hoc poſſumus ac debemus credere. Hoc igitur poſito, nimirum quod *Roma* ſit nomen diuinitus inſtitutum, de Romanæ Vrbis gloria, de Romanę Eccleſiæ Romanique Pontificis prærogatiuis tractaturi, nemini videatur mirum, ſi Romæ ipſius nomine eas ſuſcepimus comprobandas. Si enim, vt dicit Cyprianus libro de Sina & Sion, nominum interpretationes nominatorum deſignant veritatem, quanto magis id notitiæ præſtabunt, quæ à Deo afflata, quæ Dei ipſius ore aut iuſſu rebus fuerint impoſita? Poëtæ, cum aliquod magnum aggrediuntur opus, Muſam inuocare ſolent, ſicuti Virgilius in ipſo Æneidos exordio.

Musa mihi causas memora, quo numine laeso,
Quidve dolens Regina Deûm, tot volnere casus
Insignem pietate Virum, tot adire labores
Impulerit.

Ego autem de Roma, eiusque gloria & prærogatiuis scripturus, ipsam inuocabo Romam, supplex illam compellabo, dicamque illi cum Diuo Hieronymo: *Vrbs potens, Vrbs Orbis Domina, Vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum.* Lib. 2. ad vers. Iouinianum. Vrbs Excelsa, Vrbs Fortissima, Vrbs Dominatrix Orbis, Vrbs omnium ferè hominum voce laudata; Roma Ecclesia Dei, Roma Sponsa Christi, Roma Cathedra Petri, Roma Vicaria Cœli, expone mihi, quæso, nomen tuum, explana mihi tuum vocabulum, illustra mihi tuam appellationem, aperi mihi illius arcana, & reconditissima quæque sub tam exigua vocula ac tam parua literarum caterua latent, mihi retege, quò de te quid te dignum posteritati relinquam, omnésque tuos aduersarios tui proprij nominis iaculis, tui proprij vocabuli telis ac sagittis confodere valeam.

ROMA NOMEN *ſublimitatis.*

CAPVT III.

R*OMA* apud Hebræos excelſitatis, altitudinis ſublimitatiſque nomen eſt: Eorum enim linguâ *Roma* ſignificat Excelſam, Altam & Sublimem, quæ ſunt tria ſynonyma: Ita exponit Diuus Hieronymus libro ſecundo aduerſus Iouinianum: ita explanant ſanctiſſimæ omnes linguæ huius Interpretes, videlicet à radice *Rum*, id eſt, Attollere ſeu Exaltare. In prima enim coniugatione Hebræi dicunt *Ram*, altus fuit, eleuatus eſt: In ſecunda *Romem*, eleuauit, exaltauit, erexit: In voce paſſiua *Romam*, eleuatus eſt, exaltatus eſt: ita Fungerus in ſuo Etymologico. Et fortaſſis Latinæ linguæ Scriptores eiuſmodi rationem habuêre, cum ſimilia Romæ tribuerunt epitheta, ſicuti Virgilius Æneid. I.

Multa quoque & bello paſſus, dum conderet Vrbem,
Inferrétque Deos Latio: Genus vnde Latinum,
Albanique Patres, atque Alta mœnia Romæ:

Ab infantia, ab incunabulis vſque Alta fuit Roma, fuit Excelſa, fuit Sublimis; imò Altiſſima, infinitè Excelſa, ac perfectè Sublimis, quia exſtructa ſuper montibus ſeptem: qui numerus, vt docent Numerorum Speculatores, eſt numerus infinitatis, numerus ſummæ perfectionis, numerus excelſiſſimæ excelſitatis. Hæc ipſa fuit ipſorum Augurum ſententia: Ex ſeptenis quippe montibus, in quibus primò ædificata fuit Roma, futuram eius prædixerunt excelſitatem. Inde poſtea Romanis dies Feſtus, quem ideo *Septimontium* dixere, quod in honorem iſtorum ſeptem montium eſſet inſtitutus. De hoc Feſto mentionem facit Plutarchus in Quæſtionibus Romanis, quæſt. 69. qua in quæſtione dicit Septimontium Feſtum inſtitutum fuiſſe propter collem ſeptimum Romæ adiectum, eoque die abſtinuiſſe veteres ab vſu vehiculorum, quæ trahebantur iumentis. Ideo Scaliger ſeptem illos montes cœleſtia vocat pignora.

Vos ſeptem gemini, cœleſtia pignora montes:

Excelſa pignora per quæ iurauerat Excelſus Romam ſe aliquando exaltaturum ſuper omnes totius Orbis Vrbes, & cum ea excelſum initurum fœdus. Sicut enim Septenarius excelſitatis, ita & fœderis nomen eſt. Idcircò Abraham, re & nomine Pater Excelſus, fœdere cum Abime-

lech percuſſo, dedit illi ſeptem agnas, vt coram Altiſſimo fœderis cum eo percuſſi in perpetuum ſibi eſſent teſtimonium. Idcirco qui eſt Excelſus ſuper omnes excelſos Eccleſiæ ſeptem Sacramenta reliquit, quæ ſponſaliorum cum ea initorum fidelibus æternum forent monimentum. Excelſa Roma, multiplicique excelſitate excelſa: Excelſa nomine, Excelſa ſitu, Excelſa virtute, Excelſa imperio, Excelſa ſanctitate, Excelſa dignitate.

I. Excelſa Roma nomine, quoniam *Excelſa* proprium eſt eius vocabulum, nulluſque terræ inueniatur angulus, vbi excelſum Excelſæ vrbis nomen ſicut & ipſe Sol non fuerit & non ſit cognitum.

II. Excelſa Roma ſitu, quia ſuper montibus ædificata: quia quouis tempore ædificiorũ excelſitate excelſiſſimas omnes ſuperauit Vrbes; & ita ſuperauit, ait Plinius, vt ſi quis ſitus excelſitati tectorũ excelſitatem addat, tantam inde concipiat æſtimationem, vt in toto Orbe nullius Vrbis altitudinem & magnitudinem Romæ altitudini magnitudinique potuiſſe comparari fateatur. Atque inter tot tamque excelſa excelſæ Ciuitatis ædificia adeo excelſum præcipuè viſum eſt Capitolium, vt Caſſiodorus affirmare non dubitarit, eos Capitolia celſa conſcendere, qui excelſiſſimorum virorum excelſiſſima ſuperare videantur ingenia. Claudianus ædium Romanarum tantam admirans altitudinem, Romæ nihil in terris altius æther poſſe capere confitetur.

Quâ nihil in terris altius æther,
Cuius nec ſpatium viſus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit.

Et quid mirum, ſi Sidonius mundi verticem vocat Vrbem, cuius excelſa templa, ſecundum Rutilium, excelſitate Cœli excelſitatem fere adæquarunt.

Exaudi Genitrix hominum, genitrixque Deorum!
Non procul à Cœlo per tua templa ſumus.

III. Excelſa Roma virtute, excelſa fortitudine, excelſa robore quippe Virtutis, Fortitudinis Roboriſque ipſo decoratur nomine, quod eſt Ῥώμη, virtutis excelſitate adeo excelluit, fortitudinis altitudine adeo valuit, roboris ſublimitate adeo potuit Excelſa, Alta Sublimiſque Roma, vt tot ſæculorum ſpatio, quot montes intra muros continet, excelſiſſimas, altiſſimas, ſublimiſſimaſque omnes vrbes ſibi ſubiecerit.

Verum hæc tantum alias inter caput extulit Vrbes, Virg. Eclog. 1.
Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi.

Ideóque Κατ' ἐξοχὴν, *Vrbs* vocata, quaſi reliquæ terrarum Vrbes, Romanæ excelſitatis & amplitudinis habita ratione, Vrbium nomen

non mererentur amplius: quaſi illa excelſiſſima atque ampliſſima Vrbs, cuius idem ac Orbis ſpatium, Orbis potius quam Vrbis nomine digna videretur nuncupari.

IV. Excelſa Roma imperio: Romę tam excelſa fuit imperandi ratio, tam altus eius dominandi modus, tam ſublimis à ſubactis populis obſequium exigendi facilitas, vt cum ea natum eſſe videretur Imperium,

Aeneid. 6. *Tu regere imperio populos, Romane, memento,*
(Hæ tibi erunt artes) paciſque imponere morem,
Parcere ſubiectis & debellare ſuperbos:

Vt omnibus terrarum excelſiſſimis poteſtatibus deuictis ac proſtratis, ad ſummum tandem totius Orbis imperium ſeſe extulerit, Mundique Caput meruerit ſalutari: Quod poſtremum ſublimiſſimum ſublimitatis faſtigium, nec ſolum à Capite humano, in fundamentis, dum Iouis templum exſtrueretur, reperto, verum etiam ex nomine ipſo illi fuerat promiſſum. Nam refert Feſtus ex Gergithio, authore vetuſtiſſimo, quem de Æneæ in Italiam aduentu ſcripſiſſe dicit, Romam initio appellatam *Cephalon*, id eſt, Caput. Quid multa? Eò vſque proceſſit Romani Imperij excelſitas, eò peruenit eius altitudo ac ſublimitas, vt Cœlum vſque peruenerit, quæ eſt vniuerſæ machinæ excelſiſſima & altiſſima pars, in qua Excelſus ipſe,

in qua Altissimus sedem sibi voluit parare: in qua Romanus Pontifex, Summus Altissimi Vicarius, aperiendi & claudendi, ligandi & soluendi potestatem habet sicut & ipse Dominus. Hanc summam in cœlis potestatem à Ioue ipso, Ethnicis hominum Deorumque Patre habito, Æneæ sub nomine Romano Pontifici promissam fuisse fortassis intellexit Virgilius, cum Iouem Æneæ Matrem sic alloquentem fecit Æneidos I.

Parce metu Cytherea: manent immota tuorum
Fata tibi: cernes Vrbem, & promissa Lavini
Mœnia, sublimemque feres ad sidera Cœli
Magnanimum Æneam.

In fatis erat, vt binum Roma consequetetur imperium, Imperium scilicet terrestre, & Imperium cœleste. Hoc illi portendebat Aquila biceps, quam in insigne sibi delegerat: Nec solum Aquilæ duplex caput, verumetiam duplex regnum. Regnat enim hæc volatilium Regina in Cœlo & in Terra, & in vtroque regno æquale in subditas aues imperium exercere à Natura ipsa illi concessum est. Roma terreno diu potita imperio, cœleste tandem imperium adepta est. Et fortassis hoc Romæ Imperium Cœleste præsenserat idem Maro, cum Patrem Anchisen Æneam filium sic alloquentem induxit Æneid. 6.

Viden' vt geminæ ſtant vertice criſtæ,
Et pater ipſe ſuo ſuperum iam ſignet honore?
En huius, gnate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo.

Idem fortaſſe ſenſus Erinnæ, celebris illius Poëtriæ, quam ſub Pompeio floruiſſe ferunt, & de qua meminit Lipſius lib. 1. de Magnitudine Romana, cap. 2. Ita enim Romam affatur illa vates.

Filia Martis, mihi Roma ſalue,
Aureo Regina decorata cultu,
Quæ vel in terra ſtabiles Olympi
Incolis arces.

V. Excelſa Roma ſanctitate, & adeò excelſa, etiam dum eſſet Ethnica, vt ſicut in toto terrarum Orbe nihil Româ maius, ita & nihil ſanctius potuiſſe inueniri ſcripſerit Liuius: *Nulla*, inquit, *vnquam Reſpublica nec maior, nec ſanctior, nec bonis exemplis ditior fuit.* Eo tempore ſanctitatis adeo ſtudioſam fuiſſe Romam legimus, vt, ne vllum niſi bonum ac ſanctum haberet Ciuem, Cenſores inſtituerit, qui Ciuium obſeruarent mores, qui an ſanctè viuerent, inquirerent, viderentque ne quis eorum ſanctitate Romana quid indignum perpetraret. Quaſi in mediis tenebris, quibus obuoluta erat Roma, excelſioris ſibi futuræ ſancita-

tis aliquis illi radiusculus interluxisset: Quasi Excelsa Vrbs se Domum Dei Excelsi, eiusque sanctissimæ Ecclesiæ sedem aliquando fore præsensisset: Quasi ædes, quæ tam excelsum & sanctum Dominum, quæ tam excelsam & sanctam Dominam, quæ tam numerosum excelsorum sanctorum comitatum erant excepturæ, hac morali ciuilique sanctitate ex tunc voluisset sanctificare. Nec reuera fefellit illam sublimioris sanctitatis expectatio. Contigit enim, vt quæ prius in mundo fuerat sanctificata, in Christo postea sanctificata fuerit; & adeo sanctificata, vt per excellentiam *Sancta* vocari merita sit, ac meritò. Verè namque Sancta, quæ tot Sanctorum fuit Mater: Verè Sancta, quæ tot Sanctorum sanguine fuit inaugurata: Verè Sancta, quæ Sanctorum Ecclesiæ Principum purpurata fuit cruore: Verè Sancta, quæ Sancti Domini salutata est Ecclesia: Verè Sancta, quę tot Sanctas Sanctorum reliquias continet, quæ tot sancta asseruat pignora, vt verè possit dici Terræ Sanctuarium, ac totius Orbis Sanctum Sanctorum. Nec immeritò de Roma cecinit Prudentius in Hymno de S. Laurentio.

Vix fama nota est abditis
Quam plena Sanctis Roma sit,
Quam diues Vrbanum solum
Sacris sepulcris floreat.

VI. Excelsa Roma dignitate, excelsa munere, excelsa prærogatiuis;imo excelsissima. Dignitatibus tam excelsis ornata est, muneribus tam altis fungitur, prærogatiuis tam sublimibus fruitur, vt nec possibile nec fas sit aliquid sperare sublimius. Illa enim sola omnia hæc obtinuit à Domino, vt sit Mundi Caput, vt sit Orbis Christiani Metropolis, vt sit Ecclesia Dei eiusque filiorum Mater, vt sit Sponsa Christi illiusq; Supremi Vicarij Sedes; vt sit Cathedra Petri, qui est Petra super quam fundata est Ecclesia; vt sit Ouile Domini, vt sit Ouium Summi Pastoris tugurium, vt sit Fidei arx & propugnaculum, vt sit ianua Cœli cœlestisque regni clauium custos: quæ dignitates, quæ munera, quæ prærogatiuæ superant omnem excelsissimam dignitatem, omne altissimum munus, omnem sublissimam prærogatiuam, quæ animo fingi aut cogitatione depingi posset.



VNDE HABEAT ROMA, *vt sit* ROMA, *id est,* *Excelsa.*

CAPVT IV.

ROMA secundum nomen Excelsa est, & adeo Excelsa, vt eius excelsitatem nec penna possit scribere, nec lingua proferre, nec animus concipere. Sed vnde, quæso, tanta excelsitas? Vnde tanta altitudo? Vnde tanta sublimitas? *A Petra*, & meritò de se Roma potest dicere istud Prophetæ Regis; *In Petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meum super inimicos meos.* Qui est Altissimus super omnem terram, qui exaltatus est super omnes Deos, qui excelsus est super omnes gentes, & super omne regnum hominum; qui Cœlo, qui Stellis ipsis excelsior est, Romam & Caput eius, Summum Pontificem, exaltauit in Petra: nec in vna tantum, sed in duplici Petra.

Psal. 26.
Psal. 96.
Psal. 112.

Exaltata est Roma in Christo Iesu, qui est αὐτόλιτος, vt dicit Dionysius, Petra ipsa, Petra velut idealis Ecclesiæ fundandæ, & in æternum stabiliendæ. In Christo Iesu, qui

eſt Lapis electus, Lapis probatus, Lapis pretioſus, Lapis in Sion poſitus, Summus angularis Lapis, in quo eſt ſalus noſtra. In
Iſa. 29. Chriſto Ieſu, qui eſt altiſſima Petra, vnde Pater Altiſſimus dulciſſimas eduxit aquas, de quibus biberent qui in aridis huius mundi deſertis perigrinantur. In Chriſto Ieſu, qui eſt Lapis abſciſſus de monte ſine manibus, qui percuſſit ſtatuam, & factus eſt mons magnus, & repleuit vniuerſam terram. Si autem exaltata eſt Roma in Filio, etiam exaltata eſt in Patre. Pater enim & Filius vnum ſunt, & quia vnum ſunt, ita & vna quoque ſunt Petra. Hoc nos docet ipſa Lingua Sancta, quæ ideo ſub vno vocabulo *Eben*, id eſt Petra, Patrem & Filium complectitnr. Tribus enim elementis conſtat *Eben*, nimirum *Aleph*, *Beth*, & *Nun*: Si primo ſecundum iunxeris, habebis *Ab*, id eſt Pater; Si ſecundo tertium, habebis *Ben*, id eſt Filius.

Exaltata eſt Roma in Petro, qui eſt altera Petra, Petra ſolida, Petra inconcuſſa, Petra immobilis, ſuper quam Chriſtus, altiſſima & angularis Petra, ſuam ædificauit Eccleſiam: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* In Cepha, & per Cepham, (quod interpretandum eſt Petra æquè ac Pe-
Mat. 16. trus iuxta vſum receptum à Græcis, qui Πέτρα & Πέτρος in diſcriminatim vtuntur, vt Petram ſignificent) facta eſt Roma *Cephalon*, Κεφαλάιον τȣ̃ κόσμȣ, Caput Mundi, quod facta ſit Sedes Cephæ, cui Dominus tanquam

Capiti totum Orbem commisit regendum, cum dixit, *Pasce oues meas*. Pastori enim incumbit gregem regere sicut & pascere: probabiléque videtur *Cephalon* Gergithij & Festi à *Cepha*, potius quam à Κεφαλαιον deductum esse. Quinimo *Cepham* & Κεφαλαιον, vnum & idem esse comperio. Sicut enim *Cephas* Syriacè significat Petram, ita & Græcè significat Caput. Illud testatur Hieronymus in Caput secundum Epistolæ ad Galatas: Hoc animaduertit Optatus libro secundo contra Parmenianum. Quoniam Cephas, qui Petra & Caput est Ecclesiæ, Romę suam constituit Cathedram, vt in ea in perpetuum sederent Romani Pontifices eius successores, ideo in Cepha & per Cepham Roma facta est ipsamet Ecclesia, Ecclesia scilicet Christi: Ideo, vt dicit Mantuanus, facta est Cœli Ianitrix & Vicaria, cęterisque omnibus decorata prærogatiuis, quibus & decoratus est ipsemet Cephas.

In Christo Petra, in Cepha Petra exaltatum est Romæ Cephas, exaltatum eius Caput, quia Cephæ successor est. Quoniam verò Romanus Pontifex Cephę successor est legitimus, ideo & prærogatiuarum Cephæ legitimus est hæres: ideo Caput Corporis Ecclesiæ: ideo Ecclesiæ Sponsus, eiusque ædificij fundamentum: Ideo summus Sacerdos, ac omnium Sacerdotum Princeps: ideo Episcopus vniuersalis, & Summus Christianorum Pontifex: ideo Apo-

ſtolicæ Sedis Pręſul : ideo Rector Domus Dei, & eius vineæ Cuſtos : ideo fidelium omnium Doctor : ideo ſupremus Paſtor Ouilis Domini : ideo Pater Patrum, ideo Pater per excellentiam. Ideo Papa, quod idem eſt ac Pater; ſed Pater amabilis, Pater ſuauis, Pater benignus, qui intimo amoris ſenſu filios complectitur, qui peccantes ſuauiter corripit, qui prodigos domum redeuntes benignè excipit. Siquidem Gręcè Πάππα, ſeu Παππας ſignificat Patrem, voxque amoris eſt ac ſuauitatis, quâ pueruli balbutientes, & Patri blandientes, illum ſolent compellare. Hoc vocabulo Patrem vocat filia apud Homerum, Πάππα φίλε : Eoque vtitur Philemon Comicus apud Atheneum, Χαῖρε Πάππα φίλτατε. In vtriuſque Petrę virtute Summus Pontifex, Romæ & Romanæ
Odiſſ. 6. Eccleſiæ Caput, exaltatus eſt ſuper inimicos ſuos : exaltatus ſuper Imperatores & Reges, Romanæ Sedis autoritati infenſos : exaltatus ſuper Pſeudopapas, ſuper falſos Patriarchas, ſuper Schiſmaticos, ſuper Lutheranos, ſuper Caluiniſtas cæteroſque Hæreticos, quos Propheta Ieremias ſub Moabitarum nomine omnes inuitat, vt Geneuam aliáſque prauorum dogmatum Ciuitates derelinquant, & habitatum veniant in Petra, id eſt in Eccleſia Romana, vt quę ſola Catholica & Apoſtolica eſt ; vt quæ ſola fundata eſt ſuper Petram firmam & immobilem, ſuper Chriſtum Petram, ſuper Petrum Petram, extra quam

petram

Petram nullam prorsus salutem sperare licet; *Relinquite Ciuitates, & habitate in Petra habitatores Moab.* Iere. 15.

Proprium est Petræ, vt sit asylum, vt iis qui ad eam confugiunt sit perfugium & salus. Ne moriatur Moyses, videns faciem Domini, Dominus ponit eum in foraminibus Petrę, donec transeat gloria sua. Cum Dauidi nuntiatum esset eum quærere Saülem vt interficeret, statim descendit ad Petram. Aquila pullorum salutem reponit in Petra: Scribit enim Plinius, & post eum Diuus Hieronymus, hanc volatilium reginam, ne pullis serpentes noceant, in nido lapidem Ætitem collocare. Herinaceis ipsis refugiũ est Petra. Quia lepusculus, plebs inualida, in Petra suum collocat cubile, idcirco à Sapiente Sapientibus ipsis habetur sapientior. Sapiens igitur Ethnicus, sapiens Hæreticus, sapiens Schismaticus, qui scandali & reprobationis Ciuitatibus derelictis confugit ad Petram, qui in Petra suum ponit nidum, & in ea habitat omnibus diebus vitæ suæ. Tunc enim temporis verè potest dicere cum Propheta Rege; *Expectans expectaui Dominum, & intendit mihi, & exandiuit preces meas, & eduxit me de lacu miseriæ & de luto fæcis, & statuit supra Petram gressus meos.* Id consilij præuaricantibus dat ipse Deus, cum dicit per Prophetam, *Ingredere in Petram, & abscondere fossa humo à facie timoris Domini.* Nulla namque salus, nulla fortitudo,

Exod. 33 1. Reg. 23. Plin. l. 10. cap. 2. Hieron. in cap. ab Isaiæ. Ps. 103. Prou. 30. Psal. 89. Isai. 2.

nulla virtus, nullum robur extra Petram, quia Petra ipſa, qui eſt Chriſtus, eſt noſtra ſalus, noſtra fortitudo, noſtra virtus & noſtrum robur. Nulla ſanctitas niſi in Petra, quia, vt iam diximus, Petra eſt Chriſtus, & in Chriſto ſolo ſumus ſanctificati & vocati ſancti. Nulla exultatio abſque Petra, quia neminem exaltat Pater niſi per Filium, qui cum Patre eſt vna Petra. Nullus in cœlum aditus niſi per Petram, quia Chriſtus, altiſſima & angularis Petra, eſt ſupremus Cœli Dominus: quia Petrus, Eccleſiæ fundamentalis Petra, eſt regni Cœlorum Ianitor, ideóque clauium Cuſtos, qui ſolus aperiendi & claudendi ſupremam habet poteſtatem. Nullum denique nec ab Angelis ipſis expectandum patrocinium, etiamſi multa quis operetur bona. Qui per bonorum operum ſcalam in Cœlum vult aſcendere, in Petra
Gen. 28. prius debet requieſcere Ita enim requieſcebat Iacob, cum in ſomnis vidit ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens Cœlum, Angelóſque Dei aſcendentes & deſcendentes per eam, & Dominum innixum ſcalæ. Quia Chriſtus eſt lapis altiſſimus, per quem omnia facta ſunt: quia eſt lapidicina, vnde nos lapilli, ſicut & aliæ creaturæ, ſumus exciſi, ſi quæramus Dominum & velimus inuenire, in Petra quęramus eum eſt neceſſe. Scriptum eſt enim;
Iſa. 51. *Qui quæritis Dominum, attendite ad Petram, vnde exciſi eſtis.* Cum Protomartyr Stepha-

nus dixit falsis testibus, qui eum postea lapidauere; *Ecce video Cælos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei*; Idem omnino est ac si dixisset: Dura ceruice homines, ac incirconcisis cordibus & auribus, audite! Ecce mox vestris obruar lapidibus, en citò vestris contundar petris: In Petra autem saluabit me Christus, qui est mea petra, meum robur & mea salus: In petra exaltabit me, qui est altissima petra, super Cœlos exaltata: per petram iam mihi aperti sunt Cœli: En video petram angularem, quam iniquè reprobauistis, & in eius virtute regnum Cœleste breui me ingressurum spero. Act. 7.

Qui vult ergo saluari, qui vult exaltari, qui vult in Cœlum ascendere, habitet & requiescat in petra: seruet mandata Dei, qui est altissima petra: Confiteatur Christum, qui est summa angularis petra: Audiat Romanam Ecclesiam, quæ sola fundata est super petram inconcussam: Obediat Petro, qui est petra ipsa, super quam fundata est Ecclesia, & in cuius petræ foraminibus hæc speciosa dilectissimaque Christi Sponsa Sponso dilectissimo suam ostendit faciem: Obtemperet Romano Pontifici, qui est legitimus Petri successor, ideóque Christi supremus Vicarius, & sub Christo capite inuisibili Ecclesiæ caput visibile. Schismatici & Hæretici vtcumque Christum confitentur, fateor; sed inde non sequitur, quatenus viuunt & moriuntur tales, eos posse saluari. Ad sa- Cant. 2.

lutem non vna tantum, sed duæ requiruntur petræ. Vt quis saluetur, Christum petram primariam non sufficit agnoscere, agnoscendus est etiam Petrus petra secundaria, agnoscendusque Romanus Pontifex legitimus Petri successor. Aquila ipsa, cui à Ioanne Apostolo comparatur Ecclesia, in duplici petra pullorum quærit & inuenit salutem. Lapis enim ætites, quem in nido collocat, vt eos à serpentibus seruet incolumes, non simplex, sed duplex lapis est: quippe intra se, quasi in vtero, alterum lapidem dicitur gestare; qui secundus lapis intus sonat, cum primus concutitur.

Apoc.12.

Christi, Petræ angularis & altissimæ, figura quidem fuit mirabilis illa petra, nimirum petra Horeb, ex qua Moyses in Raphadin dulces eduxit aquas, vt de iis biberent Israëlitæ. Ita docet Paulus ipse, Mosaïcæ legis egregius & fidelis interpres; *Bibebant de spiritali eos consequente petra; Petra autem erat Christus*: Agnus, terræ dominator, quem ad Ecclesiam emittendum à Petra, multis ante sæculis prænuntiauerat Propheta; *Emitte agnum, Domine, Dominatorem terræ, de Petra deserti ad Montem Filiæ Sion*. Sed Roma ipsa diu ante Christi aduentum, ambarum Ecclesiæ petrarum, Christi scilicet & petri, verissima apud se habuit symbola, nimirum petram Manalem, & petram Terminalem.

Exod.17.

1. Cor. 10.

De petra Manali sic scribit Varro libro 2.

de Vita Populi Romani. *Iuxta templum Martis, extra portam Capenam, erat Manalis Lapis, quem cum propter nimiam siccitatem in Vrbem deferrent; sequebatur statim pluuia, hinc eum, quod aquas manaret, Manalem Lapidem dixere.*

Petra Terminalis, quam Virgilius Æneidos nono vocat *Capitolij immobile saxum,* erat simulachrum ipsum illius falsi numinis, quod Romani vocabant *Terminum*, & qui, dum Iouis inauguraretur templum, de fano seu sacello in Monte Tarpeio sibi consecrato se commouere noluit. Huius Termini meminit Ouidius Fastorum secundo.

Quid noua cum fierent Capitolia, nempe Deorum
Cuncta Ioui cessit turba, locúmque dedit.
Terminus, vt memorãt veteres, inuentus in æde,
Restitit, & magno cum Ioue templa tenet.

De eodem Termino sic scribit Liuius libro 1. *Et vt libera à cæteris religionibus area esset tota Iouis, templique eius quod inædificaretur, exaugurare fana sacellaque Tarquinius statuit, quæ aliquot ibi a Tatio Rege primum in ipso discrimine aduersus Romulum pugnæ vota, consecrata inauguratáque postea fuerant. Inter principia condendi huius operis mouisse numen ad indicandã tanti Imperij molem traditur Deus. Nam cum omnium sacellorũ exaugurationes admitterent aues, in Termini* Liuius lib. 1.

eabant æternitatem: æternitatem ſcilicet Romanæ Eccleſiæ, pro cuius Capite & petra fundamentali Chriſtus fundator rogauit vt non deficiat fides eius, ſed in perpetuum maneat vſque ad conſumationem ſæculorum.


Quid Petra Manalis aliud quam Chriſtus? Sanctiſſima & ſacratiſſima petra, in Caïphæ atrio & Pilati pretorio percuſſa; in ligno exaltata, ſicut à Moyſe exaltatus fuerat ſerpens in deſerto; in cruce clauis & lancea ſciſſa, vnde ortus eſt fons aquæ viuæ, de cuius aqua qui bibit non ſitit in æternum: vnde fluxit ſanguis, qui lauit nos à peccatis noſtris: Vnde manauit balſamum aromatizans, quod vulneribus noſtris præſentiſſimum fuit remedium: vnde ſtillauit ros, qui ſiccas & aridas irrorauit animas: vnde deſcendit pluuia, quæ cupiditatis & libidinis extinxit ignes: vnde exundauit torrens voluptatis, quo Dominus ſuos poturus eſt electos: Vnde tanquam à torculari deſiliit vinum illud nouum, quod in domo Patris Æterni fidelium corda in æternum eſt lætificaturum.

Quid Petra Terminalis aliud quam Petrus? quid Roma aliud quam Eccleſia, ab ipſo Chriſto, Petra Manali, ſuper ſolidam, firmam, inconcuſſam & immobilem Petri petram ædificata, & in æternum duratura, aduerſus quam nec ipſius Inferi portæ vnquã poterunt præualere. Altiſſimus in æternum

fundauit eam. Fundamenta eius æterna, quia super petram solidam sunt fundata: Fundamenti enim æternitas in petrę solditate reposita est. *Vir sapiens ædificauit domum suã super petram, & descendit pluuia, venerunt flumina, & flauerunt venti, & irruerunt in domum illam, & non cecidit, fundata enim erat super petram.* Quę autem petra solidior Christo? quæ firmior petro, cui Christus ipse est petra, fortitudo, robur & Saluator?

Matt. 7.

Ex supradictis sequitur Ecclesiam Romanam, quæ sola Catholica & Apostolica est Ecclesia, super duplicem petram esse fundatam; primò super Christum petram, secundò super Petrum petram: ita vt illa sit petra super petram, seu lapis super lapidem: quod Christus ipse voluit significare, cum dixit Iudęis, *Non relinquetur Lapis super Lapidem.* Hęc enim proferens verba, non solùm de Templi euersione videtur locutus, sed & de Ecclesiæ Sedis ex Ierusalem in Romam translatione; quæ Ecclesia, vt iam diximus, est Lapis super Lapidem.



ROMA NOMEN PASTO-ralis dignitatis.

CAP. V.

ROMA Paſtoritium quoque nomen eſt, ſeu Paſtoralis dignitatis vocabulum. Montes enim Hebræis dicuntur *Ros*: Ita Hieronymus libro ſecundo aduerſus Iouinianum; *Roma*, inquit, *fortitudinis nomen eſt apud Græcos, vt ſublimitatis apud Hebræos, quibus Ros montes ſignificat.* Et à *Ros* factum *Roim*, id eſt, Paſtores. Galli in hoc Hebręos ſecuti, Paſtores nominauerunt *Bergers*, quaſi Montanos, à Germanico ſeu Francico *Bergen*, quod Montes ſignificat.

Omni tempore Montes Paſtorum fuerunt delicię, montiúmque paſcua gregibus paſcendis aptiſſima credita. Moyſes cum de medio rubi in flamma ignis apparuit ei Dominus, in monte Horeb Ietro ſoceri ſui paſcebat oues. Dominus ipſe ſuas oues, quas idcirco ſuos greges vocat: (*Vos autem greges mei, greges paſcuæ meæ, homines eſtis*) in montibus ſe paſturum pollicetur; *Viſitabo oues meas, in paſcuis vberrimis paſcam eas; & in montibus excelſis Iſraël paſcua earum: Ibi requieſcent*

Exod. 3.

Ezech. 34.

Ezech. 34.

in herbis virentibus pascentur super montes
1.Pet 5. *Israël.* Christum Dominum, qui cum Patre
Heb. 13. vnus est Pastor, quique bonum Pastorem seipsum profitetur; quem ideo Petrus Pastorum Principem, & Paulus Ouium magnum Pastorem appellat, quandiu in terris commoratus est, hominúmque vsus consuetudine, montibus etiam oblectatum testantur sacra Euangelistarum monumenta. Adhuc in vtero ge-
Luc. 1. nitricis reclusus, vt Precursoris matrem, aut potius Præcursorem inuiseret, cum matre
Matt. 4. abiit in montana Vt tentaretur à Diabolo, assumptus est in montem excelsum valde.
Matt. 15. Mutos, cœcos, claudos, debiles, & alios multos in monte curauit. Panibus quinque &
Mat. 14. piscibus duobus saturatis virorum quinque millibus, absque mulieribus & paruulis, vt oraret, in montem solus ascendit. Coram
Matt. 17. Petro, Iacobo & Ioanne in Monte transfiguratus est. In Monte Oliuarum, vt consueuerat, priusquam à Iuda in manus Iudæorum traderetur, orauit. Crucifixus est in mon-
Matt. 28. te Caluario. Post resurrectionem in monte Discipulis apparuit. Eo denique die, quo reuersus est ad Patrem, prius in Montem Oliuarum se contulit, indéque, præsentibus & intuentibus Apostolis, in Cœlum ascendens ab oculis eorum se subtraxit.

Ratio ipsa postulabat, vt super Montes ædificata esset Roma, non solum vt situ sicut & nomine appareret Excelsa, verum etiam vt incolis grata & iucunda esset habitatio.

Romę ipſe conditor Romulus Paſtor fuit, immò Paſtorum princeps & dux. Eius primi Ciues, ſecundum Liuium & Florum, omnes Latini, Albani Thuſcique Paſtores. Reges, Conſules Imperatoréſque omnes, quos habuit, quia Reges, ideò & Paſtores fuere, aut ſaltem debuerunt eſſe. Qui enim regit oues, eas debet paſcere. Eam ob cauſam vocat Homerus Regem Agamemnonem Ποιμένα λαῶν, Paſtorem populorum: quam appellationem Gullelmo & Ademaro Principibus etiam tribuit Torquatus Taſſus in ſua Ieruſalem liberata: Cant. 1.

Poi duo Paſtor di Popoli ſpiegaro
L'inſegne lor, Guiglielmo ed Ademaro.

Ideò *Paſtorum* vocabulo Scriptura intelligit hominum Reges ſicut & ouium Paſtores. Ideò qui eſt Rex Regum & Dominus Dominantium, Regem Cyrum ſui Paſtoris cohoneſtat nomine. Ideò Dauidem ex paſcuo in regiam vocat, ex ouili in ſolium effert, pedum in ſceptrum & tugurium in palatium illi commutans, quò ſimili mutatione diſceret ille Paſtor, quò diſceret ille nouus Rex, ac cum eo diſcerent omnes Reges, nullum eſſe bonum Regem, niſi qui bonus Paſtor eſt; nullum oues Domini bene ſcire regere, niſi qui ſcit eas bene paſcere. Ideo à Græcorum αὐλὴ, id eſt Ouile, Latini dixerunt *Aula*, vt Palatium ſeu Ædes Regias ſignifi-

Ierem. 3. Iere. 23. Iſai. 44.

carent; quò inde condiſcerent Principes, ſupremo pollentes imperio, eorum aulam eſſe ouile ſicut & baſilicam; populos quibus præſunt, eſſe oues ſicut & ſubditos, omnéſque omnino Reges ex Regis regum Paſtoriſque paſtorum mandato munere paſtorali ſicut & regio fungi debere.

Ius ipſum expoſcebat, vt ſuper montes exſtructa eſſet Ciuitas illa, quæ magni Paſtoris magnum ouile, quæ tanti Paſtoris Supremi Vicarij ſedes, quę lumen Gentium aliquando eſſet futura. Super gregem vigilare debet Paſtor. Vbique excubitores, vbique pharos conſtituat, vbique faces accendat omnino neceſſe eſt. Quæ autem excubando montibus aptior ſpecula? Quis explorando tutior ſitus? quæ vigilando ſecurior ſtatio? quæ pharis ſtatuendis facibúſque accendendis magis idonea terrarum portio? Quis erigendis Paſtorum tabernaculis commodior locus? Petrus, Apoſtolorum Princeps, Gregiſque Domini ſupremus in terris Paſtor electus, quaſi montes Paſtoribus commodiſſimas ſtationes iudicaſſet, cum Ieſum, Summũ Paſtorem, in monte Tabor tanto fulgore tantoque ſplendore transfiguratum conſpexiſſet, præ timore, aut potius præ gaudio
Mat. 17. ſtatim exclamauit. *Domine, bonum eſt nos*
Marc. 9. *hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Quaſi dixiſſet bonus ille diſcipulus: Domine, ſcio quia tu es magnus Paſtor ouium; Scio quia

Moyſes populi tui Paſtor fuit in deſerto; Scio quia coram te magnus Propheta fuit Elias; ſcio quia Dominus oues ſuas in montibus paſcere pollicitus eſt: Si paſtorali munere etiam nos decorare decreuiſti; Si vis Domine, extendamus, erigamus, figamus hic noſtra tabernacula. Quis enim in toto terrarum Orbe regendis, paſcendis, fouendis, defendendis ac protegendis ouibus mons commodior iſto? Vbi tanta rectitudo ad regendum, vbi tanta excelſitas ad excubandum, vbi tantum lumen ad explorandum, vbi tanta vbertas ad paſcendum, vbi tantus amor ad fouendum, vbi tantum bracchium ad defendendum, vbi tanta virtus ad protegendum: vbi Domine tu ipſe ades, tu qui es Rex regum & Rector rectorum, tu qui Cœlis ipſis excelſior es, qui es mundi Lux, qui es Iuſtitiæ Sol; qui es totius vbertatis fons, perfectiſſimi amoris centrum, & omnium in te ſperantium fortitudo, bracchium, robur, ſalus & Saluator.

Magnus Paſtor Ouium Ieſus in monte Thabor noluit erigere tabernacula: Iudeæ omnino reliquit montes, quia Iudęi reprobauerunt Petram, in qua ſola eſt hominum ſalus. Poſuerat quidem Dominus in Sion lapidem ſummum, lapidem angularem, lapidem probatum, electum & pretioſum, vt in eum qui credidiſſent non confunderentur: Sed quia non crediderunt qui habitabant in Sion, ideo Lapis, qui eſt Ieſus Chriſtus, dereliquit montes Ieruſalem, eiuſ- Iſai. 29. Rom. 9.

que Ciuibus & incolis factus est Lapis offensionis & petra scandali. Idcirco dedit eos
Iere.26. Dominus in vexationem vniuersis regnis terræ, in maledictionem & stuporem, in sibilum & in opprobrium cunctis gentibus, ad quas eiecit eos.

In montibus Bizantinis seu Constantinopolitanis noluit considere, quia eius Ciuitatis Imperatores & Patriarchæ defecerunt à Romano Pontifice, Christi Summo Vicario ac legitimo Petri Successore. A Petra recesserunt, sicut & Iudæi reprobauerunt lapidem, ideóque similis sors illis obtigit. Adduxit enim Dominus super eos Gentem de longinquo ad similitudinem aquilæ volantis cum
Deut.28. impetu, cuius linguam non potuerunt intelligere: gentem procacissimam, quæ nec detulit seni, nec paruulorum miserta est, & cui demum dati sunt in sibilum & in opprobrium. Constantinopolitanis Imperatoribus ablatum est Imperium, periit eorum memoria, in fumum euanuit eorum dignitas, ac tantæ Maiestatis tantique splendoris nec minima tantum superest scintillula. Ablata est Patriarchis authoritas, ablata reuerentia, ablata libertas ipsa, iique ac eorum Episcopi vilissimæ gentis vilissima facta sunt mancipia. Romanum Pontificem insectentur Hæretici quantum velint, Petri successorem contumeliis afficiant, Romanæ Ecclesiæ filios diuexent, dilanient eius Episcopos, exenterent eius Sacerdotes, Græcorum sors, Iudæorum

maledictio manet gentem & regnum, quæ Romanæ Ecclesiæ se subiicere recusarint: & de illa sola intelligendum est quod scripsit Propheta, *Gens & regnum quod non seruierit tibi peribit.* Isa. 60.

Vbinam ergo terrarum æterna sibi & Sponsæ Ecclesiæ erexit Christus tabernacula? *Roma*, Romæ soli is seruabatur honos: idque præsensisse videtur, qui *Ierusalem* in *Iersolymam* commutauit. Siquidem *Ierosolyma*, anagrammatismo lectis eius elementis, hunc reddit sensum, ROMÆ SOLI: Sed superest I, quod cum sit secunda persona Imperatiui verbi IRE, abigentis esse signum possumus dicere. Quasi proprium huius Ciuitatis nomen eam sic esset allocutum. Ierosolyma, I. ROMÆ SOLI: Dominus creauit nouam Ierosolymam, nouos Cœlos fecit & nouam terram; non erunt in Isa. 65. in memoria priora, nec ascendent super cor: I, Abi, apage hinc; Non eris amplius quæ fuisti, non eris amplius Ciuitas Domini, Ci- Dei, Ciuitas Veritatis, Ciuitas Sancta, Mons Domini exercituum, Mons sanctificatus: Dominus recedet à te, ex monte Sion mouebit tabernaculum, Romam illud translaturus, vt in eius montibus habitet in æternum. Hoc voluit significare Christus ipse, cum dixit, *Non relinquetur lapis super lapidem.* Ecclesia Marc. 13. enim, vt superiori ostendimus Capite, est Lapis super Lapidem; & Christus dicens, *Non relinquetur Lapis super Lapidem*, pe-

rinde eſt ac ſi dixiſſet: Eccleſia mea: quæ eſt Lapis ſuper Lapidem, & cuius ſedem Ieroſolymæ conſtituere decreueram, non relinquetur hic, quoniam reprobauiſtis Lapidem à quo & ſuper quem ædificata eſt; ſed illam tranſlaturus ſum Romam, vt ea Ciuitas, ſicut Imperij iam ſupremum eſt ſolium, ita & in poſterum Eccleſiæ meæ ſit ſuprema Sedes. Talem fuiſſe voluntatem Domini

Malach. 1. conſtat ex Malachiæ Capite primo; *Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & munus non ſuſcipiam de manu veſtra: ab ortu enim Solis vſque ad occaſum magnum eſt nomen meum in Gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Et hoc ipſum eſt quod Phariſeis ſignificauit Chriſtus, cum dixit; *Au-*

Matt. 21. *feretur a vobis regnum Dei, & dabitur Genti facienti fructum eius.* Ideò Paulus propoſuit in Spiritu, tranſita Macedonia & Achaia, ire Ieroſolymam, dicens; *Quoniam & poſtquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.*

Act. 19. Ideò dixit ei poſteà Chriſtus; *Conſtans eſto, ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.* Hoc etiam licet coniicere ex nomine Montis, ad quem Propheta Iſaias Agnum,] terræ dominatorem

Iſa. 16. optabat emitti: *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem Filiæ Sion.* Mons enim *Sion*, cuius vocabulum à Diuo Hieronymo interpretatur *Arx*, prius vocabatur *Moria*, id eſt, *Ex-*

celſa

celsa, vt exponunt Septuaginta Genescos vigesimo secundo Capite, & postea tandem dictus est *Golgotha*, id est *Caluaria* seu *Caput*. Hoc igitur posito, nimirum quod *Moria* idem sit ac *Excelsa*, etiam & idem erit ac *Roma*, quod vocabulum, vt superiori ostendimus Capite, apud Hebræos radicaliter significat Excelsam. Si *Sion* sonat *Arx*, & *Golgotha Caput*, etiam & Roma erit Sion & Golgotha, cum Roma sit arx Ecclesiæ, Orbisque Christiani Caput: Cum, inquam, intra muros complectatur ipsummet Caluariæ montem, Capitolinum scilicet, in quo, dum Iouis extrueretur Templum, inuentum est illud Caput humanum, aut potius Caluaria, vnde molientes ædem, Romam Imperij sedem terrarumque Caput fore sunt ominati. Ita vt Prophetæ vaticinium, *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion*, de Roma nobis liceat explicare æquè ac de Ierúsalem, quæ rectè *Petra deserti* dici potest; quoniam deseruit & reprobauit Agnum, terræ dominatorem, qui est Petra, in qua est hominum salus: quoniam in ea, tanquam in petra ingrata, aut deserto petreo & arenoso, non potuit germinare semen Verbi Diuini, quod in eius agro tam abundanter seminauit Christus bonus agricola. Idcirco de illa emissus fuit Agnus terræ dominator ad montem Moria, ad montem Sion, ad montem Golgotha, Romam videlicet, quæ est *Moria*,

quoniam Excelſa ; quæ eſt *Golgotha* , quoniam Eccleſiæ & Mundi Caput : Cui Capiti, nimirum Summo Pontifici , qui eſt mons & arx Eccleſiæ , ſubeſt Roma ipſa , tanquam filia , ſicut olim monti Sion ſubfuit Ieroſolyma. Ieroſolymæ omnino euenit quod Eſau eueniſſe legimus. Quantumuis Ieroſolyma Româ eſſet antiquior , ideoque ad hæreditatẽ patris legitimè poſſet aſpirare, quia nihilominus vendidit primatum, quem illi concedebat natalium prærogatiua , Romæ licet iuniori, obtigit benedictio Patris Æterni , nimirum vt eius eſſet domus & Eccleſia , vt Chriſtum ipſum ſuis exciperet tabernaculis , vt mini-
Iſai.60. ſtrarent illi reges terræ , afferrentque gloriam & honorem in illam ; vt ſugeret lac
Iſai.49. gentium , vt Regum mamillis lactaretur , & vultu in terram demiſſo adorarent Summum eius Pontificem , eiuſque deoſcularentur pedes : vt denique Regni Cœlorum teneret claues , ne in illud abſque eius licentia vllus omnino poſſet intrare. Eam ob ſummam benedictionem , quam illi conciliauit Mater Eccleſia , cuius ſedes eſt , obtinuit vt ſuo populo ſcilicet Chriſtiano , licet natu minori, ſeruiat populus Iudaicus , licet natu grandior. Et hoc eſt quod ab Angelo Rebeccæ
Gen.25. fuerat pronuntiatum ; *Duæ gentes ſunt in vtero tuo , & duo populi ex ventre tuo diuidentur , populuſque populum ſuperabit , & maior ſeruiet minori.* Quid plura ? Chriſtus ipſe, Agnus terræ dominator , poſt reſurrectio-

nem, eo ipſo die quo Cælos aſcendit, priuſquam aſcenderet, in tantæ rei monimentum iſti petroſo monti pedum impreſſit veſtigia, & ita diſpoſita, vt ex eorum diſpoſitione faciem Chiſti ad Occidentem conuerſam, Romanam Vrbem ſpectaſſe liceat colligere, ad quam ipſe, tanquam Eccleſiæ Caput, geminos & illuſtres oculos, Petrum Apoſtolorum Principem, ſummumque in terris Vicarium electum, & Paulum gentium Doctorem miſſurus erat.

Videamus iam, quinam ſint illi ſanctiſſimi Romæ montes, Vbi Chriſtus ſibi & Eccleſiæ Sponſæ fixit tabernacula. An Palatinus & Quirinalis? An Exquilinus & Viminalis? an Cælius & Auentinus? an Capitolinus aut aliquis alius? Nullo prorſus modo. quinam ſunt igitur? Pontifex Romanus, quoniam ſolus & legitimus Petri ſucceſſor eſt, ipſe eſt mons Eccleſiæ. Duplici autem ratione hæc Petro debetur prærogatiua. Petrus eſt mons Eccleſiæ, quia Vicarius Chriſti, qui cum eſſet lapis angularis, eius factus eſt mons magnus, qui impleuit vniuerſam terram: quia Petrus eſt petra, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam: quia Petrus, quatenus petra; eſt mons imò ſingulæ petræ ſunt montes, vt conſtat ex Sacris Scripturis, quæ ideo Excelſitatem, Eminentiam, Cacumen, Verticem & Summitatem, propria montium attributa, petris tribuunt ſicut & ipſis montibus: *Mons* quippe dictus Dan.2.

ab eminendo, & quia Petra eminet mons dici poteſt: nec tantum Petra, ſed vniuersè quodcunque eminet, veluti æſtuantis maris fluctus, quem idcirco vocat Virgilius *præruptum aquæ montem*: veluti prægnantis vterus, vt patet ex Danielis loco ſuperius citato; *Abſciſſus eſt*, inquit, *lapis de monte ſine*
Dan.2. *manibus*, id eſt, vt communiter exponunt Patres, abſciſſus eſt Chriſtus de vtero Virginis ſine manibus, & ſine opera hominis; niſi tamen malimus per montem intelligere Virginem ipſam, quæ propter excellentiam altitudinemque perfectionis & ſanctitatis dicatur mons ſicut & Filius. Petrus eſt mons Eccleſiæ, quia eſt eius Caput, Caput ſcilicet ſecundarium ſub Chriſto, Capite primario, altiſſimo monte & Petra angulari. Caput enim reſpectu aliorum corporis membrorum mons eſt, & mons in quo Microcoſmi regina ſuos tenet excubitores, qui omnia quæ in Macrocoſmo peragũtur obſeruent, illique referant dum poſtulauerit. Ideo Angelus, vt Ioanni Apoſtolo mulieris ſuper beſtiam ſedentis myſterium reuelet, dicit; *Septem Capita ſeptem montes ſunt, ſu-*
Apoc.17 *per quos mulier ſedet.* Ideo Sponſus Canticorum ſeptimo ſponſæ caput comparat monti Carmelo, monti proculdubio excelſiſſimo, ad cuius radices iacent Epiſcopi, quaſi cliui, quaſi montes & petræ minores, quæ quodcunque habent excelſitatis & ſoliditatis à Summo obtinent Pontifice, ſupre-

mo monte & ſuprema petra. Neque fit iniuria Chriſto, ait Bellarminus, ex eo quod Petrus & Petri ſucceſſor ſit Caput Eccleſiæ, imo potius augetur eius gloria. Papa enim, Petri ſucceſſor, Eccleſiæ caput eſt, non cum Chriſto, ſed ſub Chriſto, vt alibi diximus. Non autem fit iniuria Regi, ſi dicatur Prorex eſſe Caput regni ſub Rege, quin potius amplificatur eius honos. Omnes enim qui audiunt Proregem eſſe Caput ſub Rege, mox cogitant Regem eſſe Caput nobiliori modo. Adde quod in Scriptura Chriſtus ipſe, qui de ſe ait, *Ego ſum lux mundi*, idem dixit Apoſtolis, *Vos eſtis lux mundi*, nec tamen ſibi ipſe iniuriam fecit. Denique quod eſt nomen auguſtius quam Dei? Et tamen non ſemel in Scripturis homines dicuntur Dij, ſine vlla iniuria veri Dei; *Ego dixi Dij eſtis, & filij Excelſi omnes.* Nulla ergo erit iniuria Chriſto, Capiti Eccleſiæ, ſi alius ſub ipſo dicatur etiam Caput.

Bellar. lib. 1. de Pontif. Rom.

Ioan. 8.

Matth. 5.

Pſal 81.

Altaria etiam ſunt montes Eccleſiæ, & quia montes, ideo in ſacris ædibus inſtar montium ſunt eleuata, dictaque ideo altaria, quod reipſa *altæ ſint aræ*, quod altaria petræ ſint, & petræ montes, vt ſuperius annotauimus. In his montibus Chriſtus bonus, imò optimus paſtor, pro ouium ſalute per Sacerdotum manus in ſacrificium quotidie vult offerri. Super hos montes ſanctiſsimos erecta & fixa ſunt eius tabernacula, in quibus cum Eccleſia Sponſa paſcit oues, & paſ-

cet in æternum. Sed bone Deus! quàm mirifico paſcendi modo paſcit eas, & quàm admirando pabulo! Proprium corpus in eſcam dat: proprium ſanguinem in potum præbet: pane cæleſti, ipſoque Angelorum pane ſaturat: aquam æternæ vitæ porrigit bibendam, de qua qui bibit non ſitit in æternum. In brachio congregat agnos, in ſinu ſuo leuat, fœtas ipſe portat, in ipſo ſponſæ gremio fouet, vberaque Dilectiſſimæ benignus admouet, quò ex iis veritatis ſalutiſque lac omni tempore poſſint deſugere.

Quoniam verò, vt principio huius Capitis diximus, *Roma* paſtoritium nomen eſt, quoniam à montibus obtinuit Roma vt eſſet Ciuitas Paſtoralis, priuſquam igitur operis concepti filum vlterius protendamus, quos ambitu Roma continet montes attingamus leuiter, aperiamuſque pro viribus arcana, quæ ſub vocabulis, quibus appellantur, deliteſcunt.



SEPTEM ROMÆ MONTIUM nomina, admirandaque quæ sub iis continentur arcana.

CAP. VI.

PALATIVM ſeptem Romæ Montium princeps habitus, forſan quia primus incolis frequentatus fuit. Si enim Eutropio licet credere, Romulus, Romæ conditor, vrbem exiguam in Palatino monte primò conſtituit. Veteres Latini, vt annotauit Fungerus in ſuo Etymologico, ſumma Montium iuga vocarunt *Palatia*, Græci παλαντια; vnde Hetruſci dixere *Palantum*, vt Cœlum ſignificarent. Verum Næuius, alijque quamplurimi Originum indagatores, *Palatium* dictum volunt à Verbo *palare*, quod pro *errare* dixerunt Antiqui : aut potius *à balatu ouium*, quod ante Vrbis exſtructionem oues balantes illic errarent & paſcerentur. Vnde fortaſſis dixit Ouidius;

Hic, vbi nunc Roma eſt, Orbis caput, arbor & herba, Faſt.5.
Et pauca pecudes, & caſa rara fuit.
Hic, vbi nunc Roma eſt, olim fuit ardua ſylua,

Tantaque res paucis pascua bobus erat:

Etymologia profecto consideratu digna, Origo haud dubiè mystica; imo vaticinium præclarum, quod Roma aliquando futura esset Ouile: sanctum Ouile, in quod Romanus Pastor, vt Summi Pastoris Summus Vicarius, Oues Domini passim errantes ac balantes collecturus erat: Nec tantum Ouile, imo pascuum vberrimum & pingue, in quo solo Christi greges verbi Dei veritatisque virentes herbas essent depasturæ.

Refert Festus ex Agathocle, post Æneæ in Italiam aduentu Romam, eius Ducis neptem, in Palatini montis vertice Fidei templum inaugurasse: Certum proculdubio præsagium Romam Fidei, Fideique Catholicæ fundamentum, petram, sedem & arcem aliquando fore.

Quoniam vero in hoc monte prius inhabitarunt Reges, inde postea cuiuscumque Regis ædes Latini dixere *Palatium*, Hispani *Palacio*, Itali *Palazzo*: nec dubium quin nostri Galli *Palais* ab eadem deduxerint origine. Scriptura ipsa domum regiam vocat *Palatium*: Hoc nomine domum Salomonis appellat, domum Assueri & domum Nabuchodonosoris. A *Palatio* item dicti *Palatini* Imperij proceres, vt qui ob dignitatem & dominium in Palatiis sicut & Reges ipsi mereantur habitare.

Iure & merito Palatium habuit Roma,

quæ tot Regum regia, quæ tot Basileon basilica fuit. Palatio, & quidem amplissimo, opus habuit illa Ciuitas, quæ electam Dominam eiusque natos, quæ Domini Dominantium Sponsam, quæ tantæ Sponsæ summum Præfectum, quæ Ecclesiastici Imperij Imperatorem Palatinosque hospitio debuit excipere: Quæ terræ Dominis hospitio exceptis, Summi Pontificis, Cœli ipsius Domini, tandem facta est domicilium & sedes. Quis autem, nisi Hereticus contumax & petulans, audeat inficiari Cœlorum esse Dominum, imo Terrarum, qui in cœlis & in terris ligandi & soluendi supremam habet potestatem? Sed quoniam qui est istius sacri Palatij Dominus, est etiam Ouium Pastor, (quod forsan prænuntiauit Maro, cum dixit in Ecloga quinta,

Daphnis ego in syluis, hinc vsque ad sydera notus,
Formosi pecoris custos formosior ipse.)

ideo in monte exstructum, quò commodiùs Pastor oues pasceret, quò excelsior illi esset specula, quò vigilans super gregem longiùs exploraret, quò meliùs oues balantes audiret, quò pereuntibus adesset citiùs, & faciliùs in ouile reduceret errantes. Et quia Pastor est, ideo & in ipso Palatio etiam constitutum est Ouile: In quo ouili singulæ oues, quælibet pro sua dignitate, suum conse-

quuntur domicilium. Ecclesiæ enim ouile
Ioan.14. est ipsa domus Dei, & in domo Dei multæ sunt mansiones. Quia verò *Palantum*, quod à Palatio deductum superius ostendimus, Hetruscorum lingua significabat Cœlum, inde possumus inferre montem Palatinum esse Cœlum terrestre. Roma enim, quia Ecclesia Dei est, ideo & Sponsa Christi: Æquum autem erat vt Cœlum haberet Palatium illa Sponsa, cuius Sponsus in Palatium & sedem Cœlum ipsum sibi constituerat. Sed de his plura inferius, in Articulo de Monte Cœlio.

MONS ESQVILINVS.

ESquilinus, alias Esquiliæ seu Exquiliæ, vocabulum corruptum est ab *Excubiæ*: Romanæ enim Historiæ Scriptores ab excubiis à Romulo illic collocatis hunc montem appellationem sortitum tradunt. Hoc etymon agnoscere videtur Ouidius Fastorum tertio,

Adde quod excubias ibi Rex Romanus habebat,
Qui nunc Exquilias nomina collis habet.

Mons igitur Exquilinus est mons excubiarum: hocque nomen est quasi Propheta, quasi Præco cælestis, Romani Pontificis auribus die nocteque hunc inculcans sermonem; *Excubiæ*, *excubiæ*, *excubiæ*; *Ex-*

cubitor excubato! Quia Roma eſt mons, in quo Chriſtus bonus paſtor, & Eccleſia eius dilectiſſima ſponſa, ſua in perpetuum fixerunt tabernacula: quia mons eſt, in quo Paſtor æternus ſuum in æternum conſtituit ouile, vt in eo veritatis ac ſalutis herbas paſcant oues: quia Pontifex Romanus tanti Paſtoris gregum in terris ſupremus eſt Paſtor, ideo ouium ſibi commiſſarum cuſtodiæ inuigilet omnino eſt neceſſe. Oportet vt ipſe obeat excubias, vt ipſe excubitoris vigiliſque defungatur munere, vt ipſe ſtatiuas luſtret cuſtodias, videàtque ne dormiant vigiles in ſtatione conſtituti; ne ſegnitie ſopiantur Cardinales, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Parrochi, Congregationum Præpoſiti, aliique omnes, quibus ouium aliqua pars cuſtodienda paſcendaque fuerit commiſſa. In Eccleſiæ fines quotidie excurrunt Infideles: eius agros, eius Prouincias frequentibus excurſionibus occupant Hæretici, Infidelibus longè infenſiores hoſtes: In inſidiis eſt Diabolus, Lupus Inferni, ac tanquam Leo rugiens circuit quærens quem deuoret: quia Paſtor Romanus ouilis Domini ſupremus eſt Paſtor, ilique, veluti membra Capiti, ſubſunt Eccleſiæ cæteri Paſtores, ideo illi præcipuè incumbit vigilare & excubare: nec tantum vigilare & excubare, ſed obſeruare ſedulò, cum ſubpaſtores gregis ſibi cuſtodes adjungit, an Epiſcopali officio, an ſpeculatorio &

excubitorio munere, an paſtorali dignitate mereantur decorari. Quia, inquam, Ouilis eſt primus paſtor, idcirco ſuper eum gregem ſuum primò requiret Dominus, & ouium, quæ Paſtorum incuria inertiaue perierint, ab eo prima exigetur ratio.

MONS QVIRINALIS.

ALiqui, forſan vt ipſo huius Montis vocabulo plenam poteſtatem ſupremamque autoritatem à creatione Mundi Romæ promiſſam fuiſſe ſignificarent, Quirinalem à *Quyros* dictum opinati ſunt; habita ſcilicet ſignificationis ratione: Græcis enim Κυρος plenam poteſtatem ſupremamque autoritatem ſignificat. Alij à *Curibus*, (vnde fortaſſis *Curia & Cura*) Sabinorum Metropoli, iſtud nomen deductum volunt. Sed Varro ſcribit Quirinalem appellatum à *Quiris*, quod pro haſta, telo ſeu ſagitta dixerunt vetores Sabini. Quirinalis igitur, ſi vocabuli ſpectetur origo, eſt mons plenæ poteſtatis, mons ſupremæ autoritatis, mons curiæ & curæ, mons telorum & ſagittarum.

In toto terrarum Orbe quænam, quæſo, Romanæ Eccleſiæ poteſtate plenior poteſtas? Quæ Romani Pontificis autoritati ſuperior autoritas? Vbinam gentium inuenietur poteſtas, vbi autoritas, licet ſuprema, quæ Sanctæ Romanæ Sedis poteſtati & autoritati audeat ſe conferre? Solus Romanus Pon-

tifex, quatenus Petri legitimus eſt ſucceſſor, domus Dei ſupremus eſt Rector: Ipſe ſolus omnium Patriarcharum ſupremus eſt Patriarcha: Ipſe ſolus omnium Epiſcoporum ſupremus eſt Epiſcopus: Ipſe ſolus in omnes Chriſti Eccleſias ſupremam habet poteſtatem: Ipſe ſolus Catholicæ totius Eccleſiæ ſupremus eſt Iudex, & ad eum ſolum Patriarcharum, Epiſcoporum, aliorumque Paſtorum appellationes poſſunt deferri. Ipſe ſolus cogere & confirmare poteſt Concilia. Ipſe ſolus Reges & Imperatores creandi facultatem habet, nec vlli Epiſcopo quempiam in Regem aut Imperatorem vngere & coronare licet, niſi vngendi & coronandi poteſtatem, formamque in vnctione & coronatione ſeruandam ab eo prius acceperit. Quid plura? Romani Pontificis autoritas & Angelicam & Humanam quamcunque ſuperat autoritatem. Angeli ſerui & miniſtri ſunt Dei, Romanus verò Pontifex eius ſupremus eſt Vicarius; nec dubium quin Vicarius pleniorem habeat autoritatem quam ſimplex ſeruus aut miniſter. Reges ſicut & alij fideles Chriſtiani Romani Pontificis ſunt filij; & quia eorum pater eſt, ideo in eos paternam habet autoritatem, quæ autoritas omnium autoritatum pleniſſima eſt cenſenda. Regum autoritas fines habet, ſed Romani Pontificis autoritas nullis finibus determinata eſt. In Terris viget, in Cœlis valet, & in his ſicut in illis ligandi ac ſoluendi ſupremam habet

poteſtatem : Imò in Inferis , è quorum piaculari carcere luſtralibuſque flammis animas autoritate ſua poteſt liberare.

Fieri autem non poteſt quin multas & vrgentes habeat curas, qui tanta donatus eſt autoritate. Ratio poſtulat , vt ſeriò ſeduloque curet Paſtor , cui tot ouium commiſſa eſt cura. Romano Patri ſanctiſſimo ſubſunt Populi, ſubſunt Principes , ſubſunt Reges, ſubſunt Imperatores , ſed filiali ſubiectione ſubſunt , ideoque de eorum ſalute paterna illi curandum eſt cura : Ideo curiam habeat eſt neceſſe, quæ probiſſimis ac integerrimis curialibus, quæ vigilantiſſimis fidiſſimiſque conſtet curatoribus, quorum ſtudio & cura in tot tantiſque curis propriam curam poſſit ſubleuare.

Tela & ſagittæ fulminum ſymbola ſemper fuere. Ideo Ethniciſmus Iouem, fulminum Deum creditum, telas ſagittaſque manibus geſtantem effinxit. Romanus Pontifex , Altitonantis ſupremus Vicarius , verè Quiris eſt, & Romanæ Eccleſiæ Cardinales & Epiſcopi , quatenus illi adſunt tanquam Patres Conſcripti, verè ſunt Quirites. Verè Quirinalis eſt, qui tot Quirinalium ſupremũ eſt Caput. Verè fulminans, qui tot fulminantium eſt princeps ; fulminandique ſupremam poteſtatem ab altiſſimo fulminante illi conceſſam eſſe, nec tantum ex pietate , ſed ex fide omnino credendum eſt. Quoniam verò

fulgur ac tonitruum præcedunt fulmen, ideo priusquam fulminet, fulgurare & tonare debet, cunctanterque tonare, ac cum mora. Id consilij suo proprio nomine dat illi Roma: Si enim, literarum inuerso ordine, legeris *Roma*, habebis *Mora.* Antequam igitur fulminet debet fulgurare, debet tonare, debet admonere, debet arguere, debet corripere, debet obiurgare, debet hortari, debet ad resipiscentiam inuitare, omniaque hæc cunctanter ac cum mora facere: Hoc est ipsius Pauli consilium ad Timotheum; 2.Tim.4.
Prædica, inquit, *Verbum*, *insta oportunè, importunè; argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina.* Vbi autem nulla resipiscendi spes adest: Vbi ouis errans Pastoris clamantis, & ad ouile inuitantis, vocem nonvult audire: vbi contumax despicatui matrem habet Ecclesiam, iure & meritò tunc fulminat; imò ex officio fulminare debet, nisi à supremo fulminante ipsemet velit fulminari. Ita præcipit ipsorum fulminum Dominus: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi* Mat.18.
sicut Ethnicus & Publicanus.

Antequam Romam se contulissent Sabini, *Agonium* aut potius *Agonem* Quirinali nomen fuisse autor est Festus: quodquidem Lib.15.
nomen, sicut & Quirinalis, suum quoque continet mysterium. Nec solum mons Quirinalis fuit Agon, sed & tota Roma, cuius montes, cuius amphiteatra, cuius circi, cuius plateæ, cuius compita, cuius vici, cu-

ius singulæ ædes fuerunt tot agones, in quibus tot gloriosa edita sunt certamina; in quibus tot generosi Athletæ, aduersus Tyrannos viriliter luctantes, fortiterque decertantes, proprij sanguinis effusione martyrij lauream, victoriæ palmam, æternæque gloriæ coronam feliciter sibi compararunt. Illustres illos agones etiam ominabatur Palatij vocabulum, Quidam enim volunt *Palatium* deductum esse à verbo παλαίω, id est luctor, vnde παλαῖστρα, quod cum ἀγὼν est synonimum, amboque latinè significant luctationem, & locum ipsum, vbi luctantur agonistæ. Roma, vt iam probauimus, est Ecclesia Christi, & quatenus Ecclesia Christi, amplus & vniuersus est Agon, in quo per totum orbem contra persecutores, contra mundi potestates, contra Draconem, Serpentem antiquum, qui vocatur Diabolus, & contra Hæreticos, vltimi huius hostis Angelos & Equites, quasi indesinenter Fidelibus luctandum est, legitiméque certandum, si brauium æternitatis incorruptamque gloriæ coronam velint accipere: quippe Ecclesia, vt in Cœlis triumphet, in terris militet omninò est necesse.

Apoc. 12.

MONS

MONS CAPITOLINVS.

CApitolium, à Capite humano, dum Iouis exstrueretur Templum, in fundamentis reperto nomen accepisse narrant Historici: & ex Capite sic reperto molientes ædem Romam Imperij sedem fore, terrarumque Caput ominatos. Illud humanum Caput casu repertum inter horrenda & monstra reponit Florus, sed meâ sententiâ insulsè, & absque vllo prorsus fundamento. Licet enim annorum serie verum comprobatum sit omen, quid ideo horrendi, quid monstruosi, quid portentosi, si terram defodientes hominis reperirint caluariam? Majus haud dubiè prodigium, longéque horribilius monstrum, si bouis aut veruecis caput reperissent. Siquidem homines, saltem ij qui in terris obeunt, ferè sepeliuntur omnes; sed boues & verueces, valdè pauci, cum in ipsis hominum visceribus, aut canum & luporum aluis vt plurimum sortiantur sepulchrum. Verisimilius igitur credendum Capitolij nomen quodam diuini numinis impulsu huic monti fuisse impositum, quò Romani bono essent animo, quò nomine nihil facerent indignum, discerentque Excelsum Romam aliquando tam excelsè elaturum, vt Caput Orbis prius facta, Ecclesiæ tandem Catholicæ Caput salutanda foret.

Sed ante inuentionem Capitis humani à Saturno *Saturnium* hunc montem dictum fuisse ferunt, annotauimusque supra, in primo scilicet Capite, Romam ab eodem fonte vocatam etiam fuisse *Saturniam*.

Saturnus autem Mythologis Tempus est, imò Temporis autor: Græcè enim dicitur Κρονὸς, quod proprium est Temporis vocabulum. Mons itaque Saturnius idem est ac mons Temporis, & quia Montes sunt arces, si Temporis Mons, etiam & illius arx censendus est. Roma, quæ Saturnia quoque est, id est Temporis Vrbs, Temporis montem & arcem, quasi perpetuitatis pignus, intra muros complectitur, vt intelligant homines Romam, licet in tempore natam, non obituram nisi cum tempore, & cum obierit ipsummet tempus. Quia verò per Saturnum etiam intelligitur temporis conditor, qui est Deus ipse, ideo Ciuitas Saturnia idem ac Ciuitas Dei, & mons Saturnius idem ac mons Dei: Mons autem Dei illius est domus & Ecclesia: Ergo Roma, quoniam Ciuitas, mons & Ecclesia Dei, ideo eius duratio temporis durationem est exuperatura; Romana scilicet Ecclesia, quæ quatenus sponsa Christi post consumationem sæculorum cum Christo sponso in æternum triumphatura est in Cœlis.

Sed quare *Capitolium* mutatum in *Campidoglio*? non caret mysterio hæc vocabuli mutatio. *Campidoglio* vox Italica, quæ per-

inde est ac si dicerem *Campo di doglia*, id est Campus doloris. Monumentum profecto dolorum, monumentum calamitatum, monumentum internecionum, monumentum direptionum, monumentum euersionum, monumentum incendiorum, quæ à propriis Ciuibus, quæ à propriis Imperatoribus, quæ à Barbaris toties perpessa est Roma. Tot tantorumque dolorum vnum duntaxat hic sufficiat exemplum afferre. Audiamus Hieronymum de Romæ à Gothis expugnatione loquentem in vita Marcellæ. *Hæret vox*, inquit, *& singultus intercipiunt verba dictantis: Capitur Vrbs, quæ totum cepit Orbem: immo fame perit antequam gladio, & vix pauci qui caperentur inuenti sunt. Ad nefandos cibos erupit esurientibus rabies, & sua inuicem membra laniarunt, dum mater non parcit lactenti infanti, & suo recipit vtero, quem paulo ante effuderat.*

Quis cladem illius noctis, quis funera fando Aeneid.
Explicet? aut possit lacrymis æquare labores? 2.
Vrbs antiqua ruit, multos dominata per annos;
Plurima perque vias sternuntur inertia passim
Corpora, perque domos & religiosa deorum
Limina.

Monumentum denique persecutionum, quas

ſub Tyrannis per totum Orbem toties paſſa eſt Eccleſia, quas patitur adhuc, & quas vltimis temporibus tandem paſſura eſt ſub Anti-Chriſto.

MONS VIMINALIS.

MOns Viminalis, ſecundum Feſtum, à *Viminibus* nomen obtinuit. Priuſquam enim illic inædificarentur ædes, Viminale tantummodo virgetum dicitur fuiſſe. In eo monte Ioui ædificatum conſecratumque templum, ac ipſe Iupiter à Viminibus *Vimineus* vocatus. Quiſnam, amabo, Propheta, quis Vates, quæ Sibylla, quod Oraculum, quis Angelus (vt ita dicam) ligandi ſoluendique poteſtatem, quam poſtea Chriſti & Petri beneficio conſecuta eſt Roma, hoc nomine clarius aut veriùs potuiſſet prænuntiare? Quid aliud namque Vimen quam ligameu ſeu vinculum? & ad quid quam ad ligandum idonea ſunt vimina? Roma igitur, quia Chriſti Eccleſia, quia ſedes Petri, cui regni Cœlorum claues dedit Chriſtus, eſt mons Viminum, & Pontifex Romanus, Petri ſucceſſor, Iupiter Vimineus, ſupremus Eccleſiæ Viminum Dominus, id eſt cenſurarum, quibus Viminibus ſeu cenſuris data

Mat. 16. eſt ei ſuprema ligandi poteſtas; *Quodcunque ligaueris ſuper terram erit ligatum & in Cœlis*; & ab iis poſtea ſoluendi, eum ſcilicet ingemuerit ligatus, peccatumque confeſſus

fuerit ; *Et quodcumque solueris super terram erit solutum & in Cœlis.*

MONS CÆLIVS.

MOns Cælius idem ac mons Cæli. Nam sicut à *Delos Delius*, ita & à *Cælum Cælius* deductum est : A Cælio monte *Cælimontium* appellata secunda Vrbis regio. Et forsan Athenæus Romam vocauit *Vranopolin*, id est Cæli vrbem, quoniam ædificata esset super montes, qui ob excelsitatem Cælorum quoque donantur nomine. Quoniam vero Cælum totius Mundi excelsissima pars est, ideo passim in Scripturis Cælum dicitur mons, & Cæli montes : *Qui fiduciam habet* Psal. 57.
mei, dicit Dominus, possidebit terram, & possidebit montem sanctum meum. Vnde dicit Propheta Rex, *Voce mea ad Dominum* Psal.3.
clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo : Leuaui oculos meos in montes, unde Ps.120. Psal. 14
veniet auxilium mihi. Et quærens ille à Do- Psal.23.
mino, quis in Sancto eius monte requietu- Psal.14.
rus sit : quærens à seipso, quis in montem Domini sit ascensurus, ipse sibi ipsi respondet ; *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam : qui loquitur veritatem in corde suo, qui non egit dolum in lingua sua : Innocens manibus & mundo corde, qui non ac-* Psal.23.
cepit in vanum animam suam, nec iurauit in dolo proximo suo : Certissimè sciens in Cælum, montem Domini, non intraturum

Apoc.21 aliquid coinquinatum, aut abhominationem faciens & mendacium.

Roma Mons Cæli, quia Ecclesia Christi,
Isa.2. ideoque Mons domus Domini in vertice mõ-
Psal.67. tium, eleuata super colles: Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: Mons sanctus, quò Propheta inuitat omnes Populos, Do-
Psal.77. minum veniant adoratum; *Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate in monte san-*
Psal.77. *cto eius.* Mons Sanctus, in quem Dominus suos inducit electos, & in quem Gentes pro-
Psal.56. mittit adducere; *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ*: Mons sanctus, cuius obscuri sunt aditus, & quò qui vult peruenire, Dei luce & veritate, quę illum deducant, omnino opus habet; vnde ad Dominum clamabat Psalmi-
Psal.42. sta; *Emitte lucem tuam & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua*: Mons sanctificationis, quem sibi acquisiuit Christus dextera sua, id est Fortitudine, quam in Passione demonstrauit; *Induxit eos in montem*
Psal. 77. *sanctificationis suæ, montem quem acquisiuit dextera eius.* Quoniam vero tam sanctum montem obliti sunt Iudæi, ideo in gladio eos numerare minatur, similique modo excipere omnes, qui ab eo sanctificationis mon-
Isa.56. te recesserint: *Vos qui dereliquistis Dominum, qui obliti estis montem sanctum meum, qui ponitis fortunæ mensam, & libatis super*

eam, numerabo vos in gladio, & omnes in cæde corruetis. Quia igitur Roma est Mons Domus Dei, ideo Mons Cœli reputanda: Mons, per quem necessariò debet ascendere, qui in Cælum vult ascendere. Nullus enim in Cæli montem ascensus, nisi per montem Ecclesiæ Romanæ: Nullus in regnum Cæleste aditus, nisi iis qui adorauerint in monte sancto Dimini, quoniam nulla salus nisi in Domini monte, qui est Ecclesia. Idcirco ne Loth pereat Sodomæ cum peccatoribus, dicunt ei Angeli, *In monte saluum te* Gen. 19
fac, ne & tu simul pereas: Monitum, quod Deus per suos præcones Ethnicorum, Infidelium, Iudæorum, Hæreticorum & Schismaticorum auribus inculcat quotidie, vt scilicet saluent se in monte, id est in Ecclesia Romana, extra quam nullam prorsus salutem sperare licet.

Nec solum Roma est Mons Cæli, per quem ascenditur ad Cælum, sed & Ianua ipsa, per quam necessariò oportet vt intret qui Cælum vult intrare. Hoc significat *Ianiculum*, qui est alius Romæ mons, dictum *Ianiculum*, quasi Ianua Cæli. Et quid mirum, si Roma sit Ianua Cæli, cum illic flagellatus ac crucifixus sit Petrus? Cum in eius iaceat ædibus qui est Ianitor Cæli, qui eius seruat claues, & cui à Domino data est illud aperiendi & claudendi suprema potestas? Deuotus ergo peregrinus, Romam Dei Ciuitatem ingressus, cum sacra beatorum Apo-

ſtolorum limina, aliaque tam ſanctæ Vrbis ſanctuaria viſitat, iure ac meritò cum Iacob
Gen. 28. poteſt exclamare; *Quam terribilis eſt locus iſte! Non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta Cæli.* Similibus ferè verbis compellat
Bernard. Bernardus Eugenium Papam: *Locus,* in-
Epiſt. 237 quit, *in quo ſtas, terra ſancta eſt; locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius; locus illius eſt, quem conſtituit Dominus Dominum domus ſuæ, & Principem omnis poſſeſſionis ſuæ.*

MONS AVENTINVS.

AVentinus quaſi *Aduentitius*, ſic dictus, inquit Varro, ab aduentu hominum, qui ante Romam conditam Dianæ Templum, in iſtius montis vertice conſecratum, ex Latio vndique veniebant viſitatum. Nec dubium quin autori eiuſmodi nomen ab ipſo Dei ſpiritn reuelatum ſit. Quandiu Roma terreno potita eſt Imperio, quis, amabo, terrarum locus populis frequentior? Quis in toto Orbe celebrior? Quis fama clarior? Quis in toto orbe celebrior? Quis fama clarior? Quis hominibus notior? Magna proculdubio Ciuitas, ampla, ſpatioſa, immenſa, & quâ nec maior, nec amplior, nec ſpatioſior, nec immenſior: Nec tamen tantæ Vrbis tecta, tantæ Ciuitatis ædes aduenarum illuc aduenientium frequentiæ poterant ſufficere. Ex municipiis, ex coloniis, ex toto terra-

rum Orbe Romam vndique adueniebant homines, adueniebantque quaſi ouantes, quod Romam conſpicientes, ſummum totius Orbis conſpicerent miraculum : quod Roma mundi eſſet Metropolis, quod omnium populorum communis eſſet Patria, omniumque hominum communis Ciuitas ; in qua Indi, in qua Scythæ, in qua Hiſpani, in qua Germani, in qua Gentes omnes tanquam in propriis hoſpitiis excipiebantur ; in qua inueniebant patriam ſicut in patria, Ciuitatiſque fruebantur iure, ſicut in propriis Ciuitatibus vnde erant oriundi : quippe lege expreſſa ſancitum erat, vt omnes qui ſub Orbe Romano eſſent, ciues Romani haberentur.

Roma iam non eſt quæ olim fuit, fateor ; non tam magna, non tam ampla, non tam ſpatioſa, non tam immenſa ; nec dubium quin priſtinæ magnitudinis multa deſiderentur ; ſi ædificiorum moles, ſi ædium numerus ciuiumque multitudo ſpectetur : Sed ſi aduenientium quotidie Populorum reſpiciatur frequentia, fatendum erit Romam ſemper eſſe Romam, ſemper frequentem, ſemper celebrem : imo longè frequentiorem ac celebriorem, à tempore ſcilicet quo Chriſti fidem profeſſa eſt, quam vnquam fuerit Gentilitatis tempore, etiam dum eſſet in flore : Maximè vero anno Iubilæi ; quo remiſſionis anno Ciuitatis templorumque portæ die ac nocte patent aduenientibus, iuxta Iſaiæ vaticinium ; *Aperientur portæ ſuæ in-* Iſa.60.

giter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & reges earum adducantur: Et ad eam vndique confluunt populi, ex China, ex Iaponia, ex Peruuio, ex Mexico, aliisque remotissimis regionibus, vnde non legimus vllum vnquam Romam aduenisse, etiam dum Orbis teneret Imperium: Non amplius vt Dianæ, vt Iouis, vt Martis, vt Veneris, vt Apollinis, aliorumque Gentilitatis Deorum fana, sed vt veri Dei, vt Deiparæ, vt Apostolorum, vt Martyrum, vt Confessorum Virginumque templa visitent. Et iam adimpletum est quod cecinit Isaias: *Et erit in nouissimis diebus*
Isai.2. *præporatus mons Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, venite vt ascendamus in montem Domini.* Nec Romam aduenientibus antiquæ Romanæ majestatis quidquam desideratur. Quo enim æuo legimus, etiam Augusti sæculo, Romæ adfuisse Legatos tantorum tamque potentium Principum, vt hodie sunt Imperator, Galliarum Monarcha, Poloniæ & Hispaniæ Reges, cuius vltimi Regis regnum, si respiciatur terrarum amplitudo, maximè dum Lusitano potiebatur regno, maius & amplius proculdubio censebitur, quam vnquam fuerit antiquum Romanorum Imperium.

ROMA NOMEN Fortitudinis.

CAPVT VII.

ROMA fortitudinis nomen apud Græcos, vt ſublimitatis apud Hebræos, inquit Hieronymus: Græcorum enim linguâ Ῥώμη ſignificat Vires, Virtutem ac Fortitudinem; imò Robur, quæ virium validiſſima eſt, fortitudinumque fortiſſima: Nam vt dicit Seruius, *Omne quod omnino forte eſt, robur illud vocamus.* Ideo Scriptura quemuis virum, validiſſimis fortiſſimiſque pollentem viribus, *robore fortem,* ſeu *robore fortiſſimum* pronuntiat.

Tantæ virtutis, tantæ fortitudinis, tantique roboris vocabulum eſt Ῥώμη, vt Ἔρως, vt Amor ipſe, qui ſua virtute, qui ſua fortitudine, qui ſuo robore omnia poſſe gloriatur vincere: qui Marti enſem, qui Neptuno tridentem, qui Ioui ipſi fulmina manibus eripit, vt his verſibus annuit Torquatus Taſſus, Italorum Poëtarum facilè Princeps.

Speſſor Amor fà cader di mano a Marte
La ſanguinoſa ſpada, ed a Nettuno
Scotitor de la terra il gran tridente,

In Aminta. *Ed i folgori eterni al ſommo Gioue.*

ab eo ſuam deduxerit appellationem : Sic Plato in Crrtylo, Ἔρως, ἀπὸ τῆς ῥώμης, & ab eadem origine vocati Ἥρωες fortiſſimi illi viri, quos pro Diis, aut ſaltem Semidiis, habuit Ethniciſmus. Refert præterea Lipſius ex Oſorio, apud Orientales Indos *Romes* ſeu *Rumes* appellari quoſcunque milites bonos & forte.

Statim atque condita fuit Roma, Fortis apparuit, & re ipſa cum tempore Fortis euaſit, fortiſſimaque donata eſt fortitudine, quoniam ſuper montibus eſſet ædificata: quippe montes vrbibus ſunt tot caſtra, tot arces, tot propugnacula, ſecundum ipſum Poëtam Romanum, qui ideo ſeptem Romæ montes *arces* appellat,

Aeneid. 6.
En huius, gnate, auſpiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septemque vna ſibi muro circundabit arces.

Caſtalio, Sibyllinorum Oraculorum interpres, in hoc ſecutus Maronis ſenſum, Sibyllæ Ἑπτάλοφον, id eſt *Septicollem*, Septem arces vertit.

Sibyll. Orac. lib. 2.
Qui ſydera fecit
Concuſſor terræ, ſtatuarum franget amo-

Et Romæ populum, quæ septem continet arces
Concutiet.

Propheta Rex summam etiam in montibus videtur collocare fortitudinem. Postquam enim dixit Psalmo 124. *Non commouebitur in æternum qui habitat in Ierusalem*, statim rationem subiungit, cur in perpetuum non commouendus sit illius sanctæ Ciuitatis incola; *Montes in circuitu eius, & Dominus in circuitu populi sui.* Ideo scriptum quoque inuenitur, *Firmamentum erit in terris in summis montium.* Psal. 32. Quoniam verò Roma Επτάλοφος, quoniam Septicollis, idcirco omnino Fortis habenda. Nam vt ad præfatum Virgilij locum annotat Nascimbænus, *Non Ciuitas non fortis esse potest, quæ septem arces habet.* Nec tantum Fortis, quin potiùs Fortissima censenda, vt quæ ædificata est super montibus septem; qui numerus, vt obseruarunt Scripturæ arcanorum Scrutatores, summæ fortitudinis summique roboris numerus est. Admirabilem illam fortitudinem; prodigiosum illud robur, quo donatus fuit fortissimus robustissimusque Sanson, in septem crinibus fuisse positum Sacræ testantur Historiæ. Ipse Domini Spiritus, qui omnium fortium est fortitudo, omniumque robustorum robur, imbecillibus ipsis, vt fortes euadant ac robusti, non amplius quam septem elargitur dona: Vnde vocatur à Beda *Septiformis Spiritus*, sicut & eius septem

dona ab ipſamet Eccleſia dicuntur *Septiforme munus* & *Septiformis gratia.*

Tempus ipſum, quo excitata fuit Roma, ſummam fortitudinem ſummumque robur illi præſagiebat. Nam ædificata, vel ſaltem ædificari incepta eſt ſub Libra, quod ſeptimum eſt Zodiaci ſignum, ſi Manilio licet credere;

Aſtron. lib.4.

Heſperiam ſua libra tenet, quo condita Roma,
Orbis & imperium retinet: diſcrimina rerum,
Lancibus & poſitas gentes tollitque premitque.

id eſt menſe Septembri, qui quia ſeptimus anni menſis eſt, apud Hebræos fortium ideo habetur menſis: quo menſe Sanſonem ipſum, omnium mortalium, qui vllo vnquam extiterint ſæculo, proculdubio fortiſſimum, natum eſſe tradunt: Hocque menſe natam eſſe conſtat Mariam Virginem, fortiſſimam illam mulierem, quæ ob ſuam fortitudinem Dei fortiſſimi Genitrix fieri merita eſt, quæque ſuo fortiſſimo robore Serpentis fortiſſimi caput conterere potuit.

Regiones etiam quatuordecim, in quas diuiſa eſt Roma, duplicis illi roboris veluti præſagium fuere. Nec ſolum quatuordecim montes: primis enim ſeptem montibus, qui ſunt Palatinus, Quirinalis, Cælius, Auenti-

nus, Esquilinus & Viminalis, additi sunt postea alij septem, scilicet Ianiculus, Pincius, Citorius, Hortulorum, Iordanus, Vaticanus & Testaceus. Et quia fortitudinem roburque suum in Septenario quasi positum animaduerteret Ciuitas illa, plena iudicij, ideo non amplius quam septem Reges habere voluit: præsaga forsan se sub Regibus terrarum Imperio nunquam potituram: experientia ipsa comprobato, Polyarchiam longè plures fortes generasse quam Monarchiam, ac Imperatorum inertiâ, vniusque imperantis socordiâ amissum tandem fuisse, quod Reipublicæ virtute ac multorum robore fuerat acquisitum.

Adeo fortis, adeo magnanima, adeo bellicosa fuit Roma, vt Martis ipsius credita sit filia: Et hoc facilè crediderunt populi ab ea deuicti, vt saltem eiusmodi fama & opinione dolorem, quem ex libertatis iactura sentiebant, aliquo modo demulcerent, & ab vna Dea se subactos esse æquiori mitiorique ferrent animo. Idcirco Mantuanus, & alij quamplurimi Romam vocant *Vrbem Martigenam.*

Martigenâ summum gessit in Vrbe locum.

Et forsitan, quia credita talis, Augustinus lib.4. de Ciuitate Dei, cap.23. in auguratione Templi Iouis Martem, sicut & Terminum ac Iuuentam, cedere quoque noluisse

ſcribit: quaſi illud belli numen bellatricem filiam derelinquere indignum exiſtimaſſet. Adeo fortem ſemper ſe geſſit Roma, vt me-
Iſai.26. ritò *Fortitudinis Vrbs*, *Fortiſſimorumque ac*
Prou.21. *Palmarum Ciuitas* dici queat. Ad quod for-
3.Reg 9. tè reſpexerat Nero, cum de ſuo nomine Romam vocari voluit *Neropolin*, id eſt Vrbem fortium & ſtrenuorum: *Polis* enim Græcè ſignificat vrbem: *Nero* autem veteri Sabinorum lingua ſignificabat Fortem & Strenuum. In proſperis, in aduerſis Roma ſemper eadem, ſemper Roma, ſemper fortis, ſemper magnanima, ſemper robuſta, ſemper intrepida; poſt cladem receptam ad præliandum denuò parata, ac ſi victoriam ipſa reportaſſet, vtque optimè dicit Claudianus,

Innumeras, vno gereret cum tempore pugnas,
Et Gallum terris proſterneret, æquore Pœnum;
Nuſquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere poſt Cannas maior Trebiamque fremebat.

Cum Romæ fortitudo, cum Romæ virtus putabatur extincta, validior poſtea fortiorque reſurgebat: Ita vt ex proprij ſanguinis effuſione nouas vires acquiſiuiſſe videretur. Quid mirum? Ius ipſum poſtulabat, vt eſſet *Roma*, vt eſſet *Fortis*, vt eſſet *Bellatrix* illa Vrbs,

Vrbs, quæ tot Ρωμαικων ac Ρωμαχιων Genitrix, quæ tot *Fortium* Mater, quæ tot ſtrenuorum *Martyrum* Nutrix, quæ tot generoſorum *Athletorum* Hoſpita, quæ Domini virtutum exercituumque Caſtra, quæ Dei Fortis Domus & Eccleſia, quæ Chriſti victoris & triumphantis Sponſa, quæ Fidei Arx. quæ Religionis Propugnaculum, quæ Dæmonis Antugoniſta eſſet futura: & cui denique in terris militandum eſt perpetuò, donec in conſumatione ſæculorum cum Chriſto Sponſo in æternum triumphet in Cœlis. Ratio, inquam, expoſcebat, vt eſſet Roma, vt eſſet omnino Fortis Ciuitas illa, quæ omnibus fortiſſimis ſubactis Ciuitatibus, quæ obtento terrarum mariumque Imperio, Cœli tandem ipſius Imperium eſſet adeptura. Regnum quippe Cælorum fortiſſimum eſt regnum, fortiſſimeque munitum. Nemini niſi robore fortiſſimo illud licet adire: Vim inferat neceſſe eſt, qui in eius regiones ingreſſum vult conſequi: Scriptum eſt enim, *Regnum Cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Mat.11. Deus ipſe, Cœli terræque Dominus, qui eſt Fortis Fortium, & Fortiſſimus Fortiſſimorum, nec debilem duntaxat Deut.15. ſibi immolari victimam ferre poteſt. Feminas, quia debiles, omnino reſpuit. Maſculos tantum, quia fortes, ſibi præcipit Leuit.1. Malac.1. ſanctificari: Maledicitque propterea doloſum, qui habet in grege ſuo maſculum,

& votum faciens immolat debile. Socordium inimicus eſt : Inertes ignauoſque à finibus arcet regni, nec niſi à fortibus colonis ſinit frequentari.



VNDE HABET ROMA, vt sit Ρώμη *vt sit Fortis, aut potius ipſamet Fortitudo.*

CAP. VIII.

ROMA, ſecundum nomen Fortis, nec ſolum fortis, ſed fortiſſima; & quia fortis & fortiſſima, ideo proprio Fortitudinis nomine decorari meruit. Sed vnde, amabo, tantæ Romæ virtus? vnde tantæ vires? vnde tanta fortitudo? vnde tanta magnanimitas? vnde tantum robur? Et vnde habet Roma, vt ſit ipſamet fortitudo, ipſamet magnanimitas, ipſummet robur? A Petra: ab altiſſima Petra, à Domino ipſo, qui ſemper fuit, & in perpetuum futurus eſt Romanæ Eccleſiæ Petra, Fortitudo, Virtus, Robur & Saluator. A Petra, vnde exciſus eſt Chriſtus, ſanctiſſima Petra: à Virgine Maria, quæ ſicut & Filius Eccleſiæ petra eſt, eiuſque filiorum Petra refugij: Petra illa deſerti, de qua loquitur Eſaias, *Emitte Agnum, Domine, Dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Sion*: Petra, ex qua ſine manibus, & abſque vlla viri opera abſciſſus eſt Chriſtus, lapis ille, de quo ſit

mentio ſecundo Danielis Capite, & quæ ob altitudinem ſanctitatis facta eſt mons ſicut & filius; *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam, & factus eſt mons magnus, & impleuit vniuerſam terram*: Petra, inquam, ſolida ſemper atque integra, & quæ nullam ſenſit in conceptu carnis illecebram, vtpote quæ ex virtute Spiritus Sancti conceperit, omnis ſenſus & carnalis illecebræ tam expers, vt hac in re Petra quædam inſenſibilis fuiſſe videatur: Petra, cui concipienti & parienti nihil integritatis petræ imminutum eſt, quoniam nec admittens conceptum, nec emittens partum nouit aperiri: Nec tantum petra, ſed etiam petra Deſerti, vt ſcilicet per Deſertum ipſa Virginis exprimeretur Virginitas. Etenim Virgo ſanctiſſima, quoad ſplendorem decuſque Virginitatis, verè deſertum fuit, nulla humana induſtria excultum, ſed à Spiritu Sancto duntaxat diuinitus fœcundatum. Eſaiæ ſuperius vaticinium ita explicat Abbas Guerricus, Diui Bernardi Diſcipulus, ſerm.2. de Annuntiatione Dominica: *Emitte*, inquit, *Domine Agnum de petra deſerti, id eſt abſcinde petram de petra, ſanctum & inuiolabilem ſancta & immaculata proferat Virginitas.* Emitte agnum de petra deſerti, ſubiungit deuotus antiſtes, vt Chriſti agni & petræ ortus reſpondeat occaſui, & conceptio ſepulturæ; vt oriatur & concipiatur in petra Virginis, qui occaſurus & ſepelien-

dus eſt in petra monumenti. A petra Eccleſiæ Romanæ ſundamentali, à Petro ſcilicet Apoſtolorum principe, vt qui Petra eſt ſuper quam Chriſtus Petra ſuam ædificauit Eccleſiam, vt eius ædificium eſſet firmum, vt eſſet ſolidum, ac in perpetuum remaneret inconcuſſum. Ab omnibus denique Sanctis, qui ſunt tot lapides Sancti, qui conficiunt Chriſti diadema, qui eleuantur ſuper terram eius, in magno pretio habendi in Eccleſia, cum ſuperponantur Chriſto lapidi fundamentali. Zach. 9. Hieron. in Cap. Ezech. 28.

Validiſſima quæque Virtus, fortiſſima quæque fortitudo, fortiſſimum quodque robur in petra, licet terreſtri, poſitum eſt. Vnde Iob Eliſæ, vt quod patitur patienter ferat, hortāti his reſpondet verbis; *quæ eſt fortitudo mea, vt ſuſtineam? nec fortitudo lapidum fortitudo mea eſt.* Vir ſapiens, ne domus cadat, imò in perpetuū duret, ſuper petram ædificat eam. Ideo præcipit Rex Salomon, vt tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi. Dauid cum Gygante Goliath certamē initurus, in petris quærit & inuenit robur; vnaque tantum petra ſuperbum illum vincit Philiſtæum, qui Iſraëlitarum fortiſſimis erat terrori, plus vno lapide valens quam Saul ipſe gladio, & omnes exercitus ſui fortiſſimi bellatores. Quia verò tam potenti petræ potentiam verè diuinam ineſſe omnino credit fortiſſimus ille opilio, exprobata ideo prius hoſti ſuperbia, antequam cum eo com-

Iob. 26. Matt. 7. 3. Reg 5. 1. Reg. 17

mittat prælium, hæc subiungit verba: *Et nouerit vniuersa Ecclesia hæc, quia non in gladio nec in hasta saluat Dominus*: Quasi Ecclesiæ ipsi vellet significare non in gladio sed in petra eius virtutem esse repositam. Arabes ipsi suam Metropolim & regiam ideo vocarunt *Petram*, quod esset Vrbs fortissima ac munitissima. Fortis igitur ac robusta Roma, sed eius fortitudo & robur in petra sunt: In Petra scilicet Christo, in Petra Maria, in petra Petro. Fortis est Roma, quia est Ecclesia Dei, quia est Sponsa Christi, fortissimorum fortissimi. Fortis est Roma, quia Ecclesia cuius sedes est, ipsam Christi Genitricem potentissimam habet protectricem: quia ædificata est super solidam firmam ac fortissimam petram; quæ Petra est Petrus ipse, Apostolus verè fortis, multiplicique fortitudine fortis, fortis scilicet animo, fortis fide, fortis amore, fortis autoritate. Verè fortis animo, qui solus contra numerosam lictorum cateruam, à Pontificibus & Phariseis, vt Iesum comprehenderent, missam, ensem distringere ausus est; & cui satis fuit animi, ut in oculis tot armatorum ipsius Pontificis seruum percute-
Ioan.18. ret, eique vnam abscinderet auriculam. Verè fortis fide, qui primus omnium confessus
Matt.16 est Christum filium Dei viui, qui descendit
Matt.14. ex nauicula, & ambulauit super aquas, vt veniret ad Dominum: Et quia fide Apostolos superauit omnes, ideo totum discipulo-

rum cœtum in fide confirmandum & sustentandum illi commisit Dominus; *Rogaui*, inquit, *pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Luc.22.
Verè fortis amore, qui cum Domino in carcerem & in mortem ire se obtulit paratissimum: qui nimio fere exanimatus dolore, quod tam amandum & tam amatum Dominum in atrio Pontificis ter negasset, vt delictum expiaret, ad extremam vsque vitæ periodum amarissimas indesinenter profudit lacrymas: Et quia plus cæteris dilexit, sicut & plus credidit; ideo ob singularem eius fidem & dilectionem dictum est illi soli, *Tibi dabo claues regni Cælorum, Pasce oues meas.* Verè fortis autoritate, qui ouium Domini supremus est Pastor, qui Christi summus Vicarius, qui regni Cælorum clauium Custos; & qui aperiendi & claudendi, ligandi & soluendi supremam habet potestatem. Paulus ipse, Petri socius, & cui Petrus societatis dextram postea dedit, vt cum eo greges Domini esset custos, fuit quoque fortis. Fortiter enim deuastauit Ecclesiam Dei, spirans minarum & cædis. Fortiter persecutus est Discipulos Domini. Fortiter egit Chtistus, vt eum ad se conuerteret: qnippe circunfulsit eum luce, in terram deiecit & excœcauit. Conuersus fortiter egit causam Domini, fortiter euangelizauit, fortiter prædicauit, & tam fortiter, vt Augustinus, tanquam summum admirandum,

Matt.26. Marc.14 Ioan.21. Galat.2. Act.8. Act.9.

Paulum in Cathedra vidiſſe deſiderauerit.

Fortis eſt Roma, fortis eſt Romana Eccleſia, quoniam fundamenta eius ſunt in Petra: qnoniam ſuper petram, ſuper quam fundata eſt, ſunt oculi ſeptem, & ſuper Caput eius ſeptem lucernæ, id eſt ſeptem Spiritus Dei; ſeptem ſcilicet Virtutes, ſeptem robora, quibus fortiſſimorum fortiſſimus aduerſus Mundi infernique poteſtates eam voluit corroborare. Spiritus ille ſeptiformis, quem poſt aſcenſionem in Cælos ad dilectiſſimam Sponſam miſit Chriſtus, vt cum ea maneret in æternum; vt illi eſſet ductor, Doctor, Rector, Conſolator & Protector vſque ad conſumationem ſæculorum; vt filios ſeptiformi repleret gratia, vt eos doceret, vt regeret, vt coufirmaret, vt conſolaretur ac protegeret.

Septem Spirituum Dei, quibus confirmatur & corroboratur Eccleſia Romana, figuræ fuerant ſeptem Romanæ Vrbis montes: Montes enim, vt alibi iam diximus, ſunt arces: quis autem in Vrbe, quis in Ciuitate arce fortior locus? Summum eſt eius propugnaculum, ſumma fortitudo, ſummum robur, extremumque aſylum, quò, muris ab hoſtibus iam occupatis, confugiunt Ciues, vt extremæ conſulant ſaluti. Sciens ergo Roma, ſciens Eccleſia, in ſeptiformis Dei Spiritus ſeptiformi gratia totum robur ſuum, imò æternitatem ſuam eſſe repoſitam, ideo ſeptenarium in numerum ſibi delegit.

Septem ſacros admittit Ordines ſeptem agnoſcit Sacramenta. Septem Pſalmos Pœnitentibus recitandos imponit. Septies in die, ſicut olim Rex Propheta, laudis Cantica decantat Domino, quæ ideo vocat ſeptem Horas, earum ſeptem Horarum vltimam appellans *Completam* ſeu *Completoriam*, vt omnia ſeptenario completa ſignificet, nihilque vlterius expetendum aut expectãdum. Ipſemet Chriſtus non amplius quam ſex verba in Cruce protulit, quorum vltimum fuit; *Conſummatum eſt*. Omnes noſtras petitiones ſeptenario etiam voluit concludi; vtque ſeptima peteremus liberari à malo, à Diabolo ſcilicet, qui eſt omne malum. Siquidem, vt dicit Origenes, cum liberati ſumus à Diabolo, liberati ſumus ab omni malo, & ſic incipimus frui Deo, qui eſt omne bonum, & quo vlterius nihil prorſus licet aut expetere aut expectare.

Auguſtinus, hunc Annæ Cantici locum explanans, *Donec ſterilis peperit ſeptem*, per Annam Eccleſiam, & per Septenarium Eccleſiæ perfectionem & vniuerſitatem intelligendam eſſe cenſet. Idem ſentit Gregorius in iſtud Iob, *qui facit Arcturum*. Quid, inquit, Arcturi nomine, qui in arce conſtitutus ſeptem ſtellarum radiis fulget, niſi vniuerſalis Eccleſia exprimitur? Ideo Ioannes in Apocalypſi de ſeptem Eccleſiiis tantum mentionem facit. Ideo Paulus ad ſeptem duntaxat Eccleſias ſcribit, Romanorum

videlicet, Corinthiorum, Galatarum, Ephe-ſiorum, Theſſalonicenſium, Philippenſium, & Coloſſenſium. Ideo vniuerſum Apoſtolorum Concilium ſeptem duntaxat Diaconos elegit: His omnibus ita factis. vt condiſcerent Fideles, ſummam Eccleſiæ matris perfectionem, ſummam eius fortitudinem ſummumque robur in ſeptenario eſſe poſitum. Chriſtus ipſe, Eccleſiæ Sponſus & Magiſter, licet plures haberet Diſcipulos, eadem fortaſſis habita ratione, vltimo conuiuio, quod poſt reſurrectionem ad Tiberiadis maris oras fecit, ſeptem tantum adeſſe voluit, nimirum Petrum, Thomam, Nathanaelem, Iacobum & Ioannem Zebedei filios, & alios ex Diſcipulis duos. Petrus ipſe, cui tanquam Eccleſiæ Capiti ac ſupremo Rectori præcipuè incumbebat peccata remittere, quaſi peccatorum remiſſionem ſeptenario determinatam eſſe crederet, ideò Ieſum Dominum compellans nomine Eccleſiæ, cu-
Matt. 18. ius perſonam gerebat, dixit ei; *Domine, ſi peccauerit in me frater meus, quoties remittam ei? vſque ſepties*? Et Ieſus ſeptenarium per ipſummet ſeptenarium multiplicans illi reſpondit, *Non dico tibi ſepties, ſed vſque ſeptuagies ſepties*; hoc eſt multoties, aut potius ſemper, & quotieſcunque ingemeret peccator: Numerus quippe ſeptenarius in Scripturis vniuerſitatem, infinitatem perpetuitatemque deſignat.

Nec ſolum ſeptenarius Romanæ Eccleſiæ,

ſed & Romanæ Vrbis etiam numerus eſt; Cui numero tantæ Ciuitatis fata viſa ſunt quaſi alligata & annexa. Super montes ſeptem ædificata eſt. Septem illi fuere ſacra pignora, quæ, vt ait Seruius, Romanum tenuerunt Imperium, Acus ſcilicet matris Deorum, Currus fictilis Veiorum, Cineres Oreſtis, Sceptrum Priami, Velum Ilionæ, Palladium Troiæ, & Ancilia. Et fortaſſis Germanus, vt Romanum Imperium apud ſe firmum, ſtabile ac immotum redderet, ideo ſeptem Electores, qui Imperatorem eligerent, conſtituit In bis ſeptem regiones Roma diuiſa eſt. Præter Romam, quod eius proprium eſt nomen, alia ſeptem obtinuit nomina, nimirum Amaryllida, Anthuſam, Saturniam, Cephalon, Neropolin, Commodianam & Gothiam: de quibus nominibus ſuperius in primo Capite. Septem Reges habuit. Et poſtquam annos ſeptingentos, primò ſub Regibus, atque inde ſub Conſulibus fuiſſet, quibus ſeptingentis annis Orbis imperium adepta eſt, rediit tandem, Auguſto imperante Reipublicæ ſtatus ad Principatum, ſeu vnius Imperium. Atque inde deducto ab Auguſto ad alterum ſeptingenteſimum calculo, comperiemus penitus peſſundatum fuiſſe Romanæ Vrbis imperium, illudque obtinuiſſe Pontificem Romanum, videlicet poſt æuum Gregorij Magni, anno circiter ſeptingeſimo Chriſti, qui ſub Auguſto natus eſt. Et hoc eſt quod ſcri-

psit Plato, statam scilicet ac definitam esse magnarum Rerumpublicarum periodum ac conuersionem circa septimum sæculum. Septies capta Roma, direpta & quasi penitus euersa. Primò à Gallis Senonensibus, anno Vrbis conditæ 354. quod tempus, vt Flori iisdem vtar verbis, Populo Romano nescio vtrum clade funestius fuerit, an virtutis experimentis speciosius. Ea certè vis fuit calamitatis, vt in experimentum illatam putem diuinitus, scire volentibus immortalibus Diis, an Romana virtus imperium Orbis mereretur. Secundò à Visigothis, anno Christi 454. Tertiò à Vandalis, anno 498. Quartò ab Erulis, anno 562. Quintò ab Ostrogothis, anno 616. Sextò à Totila, anno 628. Septimò ab Imperatore Carolo-Quinto, anno 1527. die Maij sexta. Nec mirum si septies ab hostibus Roma tam crudeliter diuexata fuit, cum Septenarius sit etiam afflictionis persecutionisque numérus: Scriptum est enim, septem diebus comedes afflictionis panem. A Saule persecutiones septem passus est Dauid, & septem diebus
Gen. 31. Laban persecutus est Iacob suum generum. Non mirum, inquam, si toties percussa, si toties direpta, si toties destructa fuerit illa Vrbs, quæ est Ecclesiæ Christi caput & sedes. Proprium enim Ecclesiæ est, vt afflicta & diuexata sit: Propria Ecclesiæ filiorum hæreditas, vt persecutionem ac tribulationem patiantur, vt odio habeantur, vt con-

tumeliis afficiantur, vt crucientur, vt flagellentur, vt dilanientur, vt crucifigantur propter Christum Dominum. Hæc omnia quasi in hæreditatem reliquit illis ipsemet Christus, eorum frater, pater ac Dominus: *Non est*, inquit, *Seruus maior Domino suo;* Ioan.15.
Si me persecuti sunt, & vos persequentur: Luc.6.
Beati autem eritis, cum vos oderint homines, & cum separauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum, tanquam malum, propter filium hominis. Hoc autem habet, vnde in mediis persecutionibus se consoletur Ecclesia: Descendat pluuia, veniant flumina, flent venti, latrent Schismatici, adoriantur Hæretici, persequantur Tyranni, irruant in eam omnes Inferni potestates, nunquam cadet, in æternum stabit, quia Romana est, quia fortissima est, quia fundata est super petram firmam & inconcussam, & fortissimum protectorem habet Christum, angularem eius petram, eius fortitudinem, eius robur, eius salutem & saluatorem. Romanam Ecclesiam tormentis quatiant Tyranni quantum velint, illam nunquam poterunt euertere, quoniam ipsa est Cant 8.
tota murus, murus inexpugnabilis, & eius vbera turres munitissimæ, quæ quò magis premuntur, eò magis vim suam & fœcunditatem declarant. Conentur quantum possint ei collum præcidere, eorum conatus erunt semper irriti: Collum enim eius est Cant 7.

turris eburnea, & ebur nimis fortè nimisque validum, vt gladio possit cedere. Quò durioribus diuexatur persecutionibus, eò magis in ea tuenda diuina virtus elucescit. Persequentium vires tandem frangit. Inimi-

Zach.12. cis fit ille lapis oneris, de quo loquitur Zacharias, quam qui leuant conscissione lacerantur. Ponam Ierusalem, scribit Hieronymus ad hunc Zachariæ locum, Ponam scilicet Ecclesiam cunctis gentibus, quasi grauissimum lapidem subleuandum: Leuabunt quidem eam, & pro virium varietate vastabunt; sed necesse est, vt dum leuatur, in ipso nixu & leuatione ponderis, grauissimus lapis scissuram aliquam in leuantium corporibus derelinquat. Non minuitur Ecclesia persecutionibus, imò augescit. Ita Iustinus in Dialogo cum Tryphone: *Vt*, inquit, *Vinea putatione ad vbertatem prouocantur, ita Ecclesia persecutionibus crescit* Ita Diuus Leo serm.1. de SS. Petro & Paulo. *Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana, quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur.* Ita D. Chrysostomus serm. in Iuuentium & Maximum Martyres: *Sicut plantæ rigatæ magis crescunt, ita & fides nostra oppugnata magis floret, neque horti aquis irrigati ita germinant, vt Ecclesiæ, si Martyrum sanguine irrigentur.* Ita vt iure ac meritò de Romana

Ecclesia possimus dicere, quod olim dixit Claudianus de Romana Vrbe:

Nusquam succubuit damnis, & territa nullo
Vulnere, post Cannas maior Trebiamque fremebat.



ROMA NOMEN
Celeritatis.

CAPVT IX.

PΟΜΗ apud Græcos velocissimus ventus, summæque celeritatis nomen est. Veteribus enim ῥώμαι festinanter celerique agitari motu significasse autor est Scapula in suo Lexico. Imo subtilis Goropius Hermathenæ libro tertio *Romam* linguâ Cimbrica celerrimam velocissimamque significare scribit; illudque nomen compositum ex Cimbrico *OM*, id est motus circularis, omnium motuum proculdubio velocissimus, & liquida R, quæ litera secundum Platonem ipsum est instrumentum ad celerrimos motus designandos aptissimum.

Roma Celeris, quia est Ecclesia Christi: Ecclesia namque summa opus habet celeritate, vt celerrimè fugiat à persecutoribus, Thren.4. qui Aquilis ipsis sunt velociores. Quoniam vero Aquila volucrium velocissima est, ideo Apoc.12 Ecclesiæ datæ sunt alæ duæ Aquilæ magnæ, vt volaret à facie serpentis in desertum locum, velocissimoque suo volatu à Dæmonis infensissimi ac velocissimi hostis persecutionibus se liberaret.

A Liuio,

Roma celeris, imò celerrima: Roma velox, imò velocissima, perpetuoque agitata motu. Sed quodnam, quæso, motus tam celeris tamque velocis principium & fundamentum? *Amor*, quod est ipsius Romæ nomen proprium, elementis inuersis. Roma, vt iam probauimus, & denuo posthac sumus probaturi, est Dei Ecclesia & Christi Sponsa: Dilectissima & fidelissima Sponsa, quæ dilectissimum Sponsum tam ardenti complectitur amore, vt præ tanti amoris magnitudine quasi languore confici ipsamet fateatur? *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant.2. *Adiuro vos, filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Cant.5. Et quia omnino nouit dilectissimum Sponsum homines tam vehementer dilexisse, vt pro iis redimendis & saluandis in cruce tanquam reus mori voluerit; vt in omnibus tam dilecti Sponsi perfecta sit imitatrix, eosdem homines singulari quoque prosequitur amore. Operam omnem impendit, vires omnes confert, conatus omnes adhibet, nulli parcit labori, nullum discrimen in quod non veniat, nullum periculum quod lubenti non subeat animo, vt ad Deum conuertantur omnes, vt in filios Dei adoptentur, & aliquando possideant regnum, quod electis ab æterno præparatum est. Quod vt consequatur, quia Celeris & Velox, celeri velocique pede per

totum discurrit Orbem. In Orientem, in Occidentem, in Meridiem, in Septentrionem velociter currit; nullusque terræ angulus, licet remotissimus, & quasi incognitus, quò celeriter non se conferat, cum de
2.Reg 2. hominum agitur salute. Cursores velocissimos, quasi Capreas quæ in siluis ac montibus morantur, orbis vsque fines delegat.
Isai.18. Ad omnes gentes, quas à Dæmone conuulsas, dilaceratas & conculcatas esse nouit, quæque eius implorant auxilium vel expe-
2.Reg.1. ctant, Angelos veloces, nuncios Aquilis ipsis velociores mittit. Quid plura? Quocunque vocata, & à quocunque expectata sit Ecclesia Romana, celeris auxiliatrix celeriter aduolat: Afflictis consolatrix adest: Ægrotis Medicinam profert: Sauciis oleum balsamumque suppeditat: Pugnantibus animum corroborat: Periclitantibus manum porrigit: Peregrinaturis viaticum præbet: oues errantes & quasi perditas in ouile conatur reducere. Sed in omnibus semper velocem se gerit, & quodcunque facit celeriter facit, & meritò. Æquum enim & iustum est, vt sit celeris, quæ est Ecclesia Dei celeris, vt sit velox, quæ est Sponsa Sponsi velocis.

Deus est celer & velox, imò celerrimus & velocissimus. Maleficis testis est velox:
Malac.3. Reis iudex est velox: Et cum visitat, adeò
Leuit.26 velociter visitat, vt celeritate velocitateque quosvis celerrimos ac velocissimos superet

ventos. Ideo Propheta Rex ad Dominum clamat: *Velociter exaudi me Domine, Domine ad adiuuandum me festina*; quasi vellet dicere: Scio Domine, quia tu es Deus Velox, & Deus Festinans, ideo velociter exaudi me, festinanter festina ad adiuuandum me: Tribulor enim, & omnino deficit Spiritus meus, nisi velociter me exaudieris, & ad adiuuandum me festinanter festinaueris. Psal.142.

Quoniam autem Deus velox est, & velociter currit, idcirco ex Etymologistis Græcis quidam nomen Dei, quod est Θεος, à verbo θεω, id est Curro, deductum volunt; nec absque fundamento. Velocissimus enim ac celerrimus cursor est Deus. Per totum vniuersum discurrit, currit ad cœlestes sphæras, currit ad stellas, currit ad astra, currit in terram, currit in mare, currit in Infernum: Sed bone Deus! quam mirabilis cursor, & quam terribilis! Tot diuersos cursus vnico ac momentaneo conficit cursu: & licet indesinenter currat, semper tamen quiescit, & in vno eodemque statu permanet. Cœlum currit fateor; Sol currit, Luna currit, Stellæ currunt, omnesque perpetuò currunt cursu: ideoque Veteres eos Θεους vocasse, id est currentes, & pro Diis habuisse autor est diuinus Plato. Sed omnibus istis velocissimis cursoribus longè velocius currit Do-

minus. Omnium ſiſtit & detinet curſum quando vult, in gratiam ſuorum Solis ipſius curſum detinet ; Eius autem curſus à nullo niſi à ſeipſo detineri poteſt.



ROMA FAMÆ GLOriæ laudiſque vocabulum.

CAPVT X.

ROMA, ſicut Hebræis ſublimitatis, & Græcis fortitudinis, ita & Germanis gloriæ famæque vocabulum eſt. Hoc ipſum obſeruat Lipſius lib.1. de Magnitudine Romana, cap.2. Siquidem Germanicè *Rom* ſeu *Rum*, vnde Becanus Goropius *Romæ* nomen deductum vult, & vnde forſan Latinorum *Rumor*, gloriam ac famam ſignificat. Sed ſi *Rum* gloriæ nomen eſt, ideo & laudis Laus enim gloriæ comes eſt indiuidua, & hoc proprium habet gloria, vt ſit laudabilis & lavdetur.

Septingentos per annos tantum operum pace belloque geſſit Roma; ita latè per Orbem arma circuntulit, vt Romana virtus de Orbe Vrbem, & de Vrbe Orbem fecerit, viſumque ſit Romanæ Vrbis & Orbis idem omnino ſpatium. Tantam inde exiſtimationem, tantum inde decus, tantam inde gloriam, tantum inde ſplendorem aſſecuta erat victrix & inuicta Ciuitas; apud omnes totius Orbis populos tantam inde ſibi conciliauerat reuerentiam, vt Parthi ipſi, alias

Romanorum hoſtes infenſiſſimi , quaſi victoriæ eos pœniteret, rapta clade Craſſiana, vltro ſigna retulerint. Eò vſque peruenerat Romæ fama , eò vſque illuxerat nominis ſplendor, vt ij , qui Imperij erant immunes, ſentirent tamen magnitudinem, & victoriam Gentium Populi Romani reuererentur. Nam & Scytæ , & Sarmatæ, & Seres , hibitanteſque ſub Sole Indi, quibus antea Romanorum nomen erat incognitum, ad Auguſtum , qui totum Orbem paci quaſi templum conſecrauerat, munera & legatos miſere. Sed (mira res dictu) quaſi terræ amplitudo Romanæ gloriæ non ſufficeret ; quaſi terrarum mariumque totus Orbis tantum ſplendorem non poſſet capere ; quaſi inferiores Sphæræ cæleſtes Romano nomini adhuc eſſent nimis anguſtæ Sphæræ , eius fama tam altè volauit , vt Empireum vſque peruolauerit, quaſi generis Humani nuntia, quæ Patri Æterno nuntiaret , Romana virtute iam eſſe paccatum Orbem ; vniuerſam terram iam alta pace frui , iam inſtare reconciliationis ac remiſſionis annum , iam adeſſe tempus quo de Cœlis in terram emittendus pacis Princeps æternus,qui tam altam pacem in eius virtute factam in perpetuum confirmaret ; qui homines Deo & Deum hominibus reconciliaret, hominibuſque ipſis à Deo ipſo plenam peccatorum remiſſionem conſequeretur. Vt vt ſit, ſub Auguſto Orbis pacatore incarnatus & natus eſt Chriſtus,

nec procul dubio feliciori sæculo potuisset nasci qui erat sæculorum conditor. Nunquam enim felicius administratum fuisse legimus terrarum Orbem quam Augusti temporibus. Huius Imperatoris regnum, inquiunt Eusebius & Sanctus Leo, à Deo ipso ita fuerat præparatum, quò faciliùs per totum Mundum deferretur Euangelium. Eo ipso tempore, quo natus est Christus, & tempore fortassis, quo Pastoribus Bethlehemitibus tantam natiuitatem annuntiabant Angeli, Romæ, in loco scilicet vbi iam est *Ara Cœli*, in Cælo visa mulier; infantem gestans in vlnis, visaque ipsi Augusto: quasi Cælum ipsum Romanis simili nuntiasset prodigio, Romam haud multos post annos Ecclesiam Dei fore, iamque esse natum, qui ab æterno Sponsus illi erat delectus.

Euseb. lib. 3. c. 9. demonst. Euang. S. Leo serm. 1. de SS. Petro & Paulo.

Vt nullo sæculorum æuo visa est Ciuitas, cuius fama longius altiusque peruenerit, & quæ tantum gloriæ sit adepta sicut Roma; ita nec visa, quæ tot laudibus elata, quæ tot encomiis decorata, quæ tot honoribus affecta sit. Et si Rethorum Apostrophe Ciuitates fas sit compellare, cum Propheta Rege Romæ ipsi mihi liceat dicere, *Gloriosa dicta sunt de te Ciuitas Dei.* De Roma multa quidem gloriosa dicta sunt, & quasi infinita; sed gloriosa, quæ excelsitatis sanctitatisque Romanæ tot gloriosa fuere vaticinia, & quæ ab ipso Dei spiritu videntur quasi inspirata.

A Liuio, Plinio, Solino, Trogo, Cassiodoro, Gratio, Fortunato, Ethico, Prudentio, & aliis penè innumeris Roma appellatur Caput Mundi, Caput Orbis, imò Orbis ipse, si non totus Orbis, saltem Orbis Compendium & Epitome, eiusque summum miraculum; nec immeritò Verè enim Orbis Roma, cuius & Orbis, vt iam diximus, idem omnino spatium.

Ouid. 1. Fast.

Gentibus est aliis tellus data limite certo,
Romanæ spatium est Vrbis & Orbis idem.

Verè Orbis Compendium illa Ciuitas, quæ in se fere totum continebat Orbem; in qua, iuxta Athenæum & Palemonem, omnes Orbis Vrbes videbantur collocatæ, & cuius ciuium numerus vniuersorum hominum ferè adæquabat numerum. Orbis haud dubiè summum miraculum illa Vrbs, cuius mirum exiguitate principium, cuius mirificus virtute progressus, cuius admirandum imperio culmen, cuius admirabile imperandi ratione imperium, cuius singula tum publica cum priuata ædificia spectantibus aduenis tot visa sunt miracula.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic posuit quicquid in Orbe fuit.

A Seneca *Mundi Officina. omniumque hominum communis patria*; ab Aristide *totius ter-*

ra commune oppidum : à Sophiſta Palæmone *Vrbs Vrbium* appellatur, & iure. Quomodo enim non fuiſſet Mundi officina illa Vrbs, quæ intra muros capiebat quicquid ſuo Mundus capiebat ambitu? Quomodo non fuiſſet hominum communis Patria eorumque commune Oppidum illa Ciuitas, in qua vniuerſi totius Orbis Populi inueniebant patriam ſicut in patria ipſa, vnde erant oriundi, & quæ quotquot in Orbe eſſent homines æquè ac proprios Ciues pro Ciuibus habebat? Vnde poſtea dixit Rutilius.

Feciſti patriam diuerſis gentibus vnam,
Profuit inuitis te dominante capi.
Dumque offers victis proprij conſortia iuris,
Vrbem feciſti, quæ prius Orbis erat.

Quomodo denique non fuiſſet Vrbium Vrbs, quæ cæterarum omnium Orbis Vrbium erat ſuprema Domina?

Martiali dicitur *Terrarum Gentiumque Dea*, cui nec par nec ſecundum aliquid,

Terrarum Dea Gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Quaſi præſenſiſſet ille Vates verè ac ſeriò Romam fore Deam, quæ Dei Eccleſia, quæ Chriſti Dei eſt hominis Sponſa, quæ filiorum Dei Mater eſſet electa: nihilque ei par aut ſecundum futurum;

quippe hæ ſunt dignitates, quæ nec parilitatem nec dualitatem ferre queunt. Sicut enim vnus eſt Deus, vnus Chriſtus, vnus Pater, tantique Patris filij vniuerſi ſunt vnum in Chriſto Ieſu; ita & vna tantum Roma, vna tantum Eccleſia, vna tantum Sponſa, vna tantum Mater.

Auſonio dicitur *Diuûm* ſeu *Deorum Domus*. Cur non Domus Deorum Roma, ſi ipſamet eſt Dea? Si tot Sanctos à Deo ipſo ſanctiſſimo Deorum nomine cohoneſtatos excepit & excipit hoſpitio?

Ammiano dicitur *Omnium virtutum Lar, vniuerſæque terræ vniuerſum templum*; ac meritò. Verè Roma virtutum eſt Lar, quæ proprio nomine eſt Virtus ipſa. Verè eſt vniuerſæ terræ vniuerſum templum illa Vrbs, quæ eſt domus Dei, Orbis vniuerſi conditoris atque Domini: quæ vniuerſæ Eccleſiæ ſedes & Caput eſt: Cuius Capitis ſingula membra, ſecundum Apoſtolum, ſunt tot templa Dei, in quibus Dei habitat Spiritus: Cuius denique ipſe Deus eſt ipſummet templum.

Tullio dicitur *Lux Mundi* & *Lumen Gentium*: quaſi illi Oratori, licet tenebris obuoluto, futuræ Romanæ lucis aliquis interluxiſſet radius. Verè enim lumen Gentium, verè lux Mundi Ciuitas illa, quæ in Montibus poſita, ne abſcondatur, Mundo vniuerſo fax illuceſcit: quæ Euangelij luce totum illuminat Orbem, quæ veritatis luce

omnes illuſtrat populos, in cuius lumine ambulant omnes Gentes, & cuius filij ipſius lucis ſunt filij. Illuſceſcit autem Roma, illuminat & illuſtrat, quia eſt Ciuitas Domini, & Ciuitas Domini non eget Sole neque Luna, vt luceant in ea: Claritas namque Dei illuminat illam: Dominus ipſe eſt lux eius, & eius lucerna Agnus, id eſt Chriſtus, qui eſt Stella matutina, qui eſt Sol iuſtitiæ, qui eſt lumen Gentium, qui eſt lux Mundi, lux vera quæ omnem hominem in hunc mundum venientem verè ac perfectè illuminat. Apoc. 21.

Claudianus Romam vocat *Matrem, armorumque ac legum Parentem*: Dionyſius Halicarnaſſæus, *Matrem omnium Vrbium*; & Rutilius, *Mundi Orbiſque Altricem.* Quis niſi procax Hereticus inficiari audeat, Romam eſſe Matrem, eſſe Altricem, armorumque ac legum Parentem? Nonne Mater quæ lactat? Nonne Altrix quæ alit? quæ in omnibus terræ regionibus pane ipſo Angelorum nutrit filios, quæ Chriſti Sponſi Sanguinem proprio lacte commixtum bibendum porrigit, quæ vbera alumnis indeſinenter præbet ſugenda, vt ex iis veritatis ac ſalutis lac deſugant in perpetuum? Nonne armorum Parens, quæ ſibi ipſi fabricat arma, quibus Tartarei Draconis numeroſæque eius cateruæ inſultibus obſiſtat, filioſque ab iis capitalibus inimicis defendat? Nonne legum Parens, quæ ſtatuit ac veluti

parit leges, quibus parére, & quas ſeruare debent homines, qui filiorum Dei numero volunt aſcribi? Sion enim & Ieruſalem, vt ſciunt Doctores, in Scripturis Eccleſiæ ſunt ſymbola, & ſcriptum eſt; *De Sion exibit*
Iſai.2. *lex, & Verbum Domini de Ieruſalem, & iudicabit, & arguet populos multos.*

Hieronymus pluribus in locis Romam ſalutat *Vrbem Potentem*, *Vrbem Dominam.* Si Mater eſt Roma, cur non & Domina? Verè ac ſeriò Domina eſt, quæ vbique dominatur, & cuius dominium nullis prorſus finibus determinatum eſt. Verè Potens Domina, cuius imperium in Cælum vſque protenditur, quæ in Inferis ipſis poteſtatem habet. Sed quia Roma Domina eſt, ideo & Romani ſunt Domini: Hoc ipſo vocabulo eos vocat Virgilius Æneidos 1.

Romanos rerum Dominos, gentemque togatam.

Dominos, vt dicit Auguſtinus, quorum propriæ ſunt regnandi atque imperandi artes; in hoc ſecutus ipſum Maronem, qui ait Æneidos 6.

Excudent alij ſpirantia mollius æra,
Credo equidem; viuos ducent de marmore vultus,
Orabuntque cauſas melius, & ſurgentia ſidera dicent.
Tu regere imperio Populos Romane memento;

Hæ tibi erunt artes, pacisque imponere morem,
Parcere subiectis, & debellare superbos.

Verè Dñi, ac potentes Dñi, Ecclesiæ Romanæ Filij, potenterque imperandi didicerunt artem ij, quibus montes, quibus venti, quibus Dæmones, quibus ipsi obediunt mortui, & ad quorum nutum sanantur infirmi, ambulant paralytici, vident cæci, loquuntur muti, & audiunt surdi. Dummodo enim tantum habeant fidei quantum granum sinapis, dicant montibus, transite hinc illuc, & transibunt ilico: Ventis prohibeant ne flent, non flabunt: Dæmonibus imperent vt exeant, & statim exibunt: Præcipiant mortuis vt resurgant, & statim resurgent. Potentia credentium potius est Omnipotentia quam potentia; quippe omnipotentes censendi sunt ij, quibus nihil est impossibile.

Atheneus Romam appellat *Vranopolin*, id est Vrbem Cælestem, seu Vrbem Cæli: forsan prænuntians Romam aliquando in Cælo ipso potestatem habituram: nec solum hoc, sed fore quasi Cælum; quod, vt opinor, voluit significare Propheta, cum dixit; *Erit Firmamentum in terris, in summis montium*: Dicit enim Deus, *Cælum sedes mea*: Atqui Roma est Ecclesia, Ecclesia est Domus Dei, in Domo Dominus habet sedem suam: Ergo Roma Cælum, quia Domus & sedes Domini: Ergo Firmamentum

Psal. 32.

in ſummis montium, in verticibus ſcilicet Altarium, in tabernaculis, in ſanctiſſimo Eucharistiæ Sacramento, in quo ſicut in Cælo ipſo Dominus ſuam conſtituit ſedem. Nec mirum ſi olim Romani Romam æternam credidêre. Roma eſt Eccleſia Dei, & quia Deus eſt æternus, ideo & æterna eius Eccleſia. Ratio ipſa poſtulat, vt qui eſt Dominus æternus habeat domum æternam; vt qui conditor eſt temporum habeat ſedem à temporum legibus prorſus immunem. Athaulphi Gothorum Regis idem fuit ſenſus. Licet enim is Rex Romæ infenſiſſimus eſſet hoſtis, *Gothiæ* tamen nomine illam inſigniſſe dicitur: quaſi iſte impius Diuinam Vrbem, aut potius Dei Vrbem Romam confiteri fuiſſet coactus: Siquidem *Goth* ſeu *Gott* Gothorum linguâ nomen Dei eſt. Et fortaſſis de Athaalpho, ſicut de aliis Romæ aduerſariis intendebat loqui Propheta Iſaias,
Iſai.60. cum dixit; *Venient ad te curui filij eorum, qui humiliauerunt te, & adorabunt veſtigia pedum tuorum omnes qui detrahebant tibi, & vocabunt te Ciuitatem Domini.*

Narrat Pierius in ſuis Hieroglyphicis Romam cognominatam fuiſſe *Anthuſam*, id eſt Florentem, à verbo ἀνθήσω, vel ἀνθέω, quod Latinè ſonat *Floreo*. Semper equidem, & ita floruit Roma, vt Auguſtinus Romam in flore videre deſiderarit, tanquam admirandorum maximè admirandum, poſt Chriſtum in carne, & Paulum in cathedra. Sed nul-

lo vnquam æuo tantum floruit, vt quando Dei facta est vinea, domus & Ecclesia. Eo enim tempore verè ac omnino fuit *Florens*, florens Martyribus, florens Confessoribus, florens Virginibus; sanctissimis floribus, suauiterque fragrantibus, qui apparuerunt in terra sua, & quibus, quæ Christi Ecclesia & Sponsa, optauit fulciri, quò pulchrior & gratior in Sponsi veniret conspectum; *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Cant. 2.

Quid plura? Tanta fuit Romæ gloria, & de illa Ciuitate gloriosa dicta sunt tot gloriosa, vt nulla prorsus inuenta sit penna, quæ de illa gloriosa non scripserit; nullus penicillus, qui gloriosas eius victorias non depinxerit; nullum scalprum, quod æri aut marmori gloriosos eius triumphos non insculpserit; nullum os, quod de illa gloriosa encomia non protulerit; nulla lingua, quæ de illa gloriosè non sit locuta; nulla vox, quæ gloriosas eius laudes gloriosè non decantarit: Nec vlla (quod mirum) inter tot voces vox vnquam extitit, quæ satis gloriosè illam potuerit laudare: quippe omnem superat laudem, nec eius laudem, vt dicit Claudianus, vox vlla potest capere:

Quâ nihil in terris altius æther,
Cuius nec spatium visus, nec corda decorem,
Nec laudem vox vlla capit.

Quid mirum, si reliquis Mundi Vrbibus tam paucæ, si Romæ tam multæ tributæ sint laudes? Romæ totius Orbis Metropolis & Caput est: Totius autem Prouinciæ gloria, inquit Hieronymus, Metropoli vindicatur, & quicquid in membris est, omne refertur ad Caput.

Ad Marcellam.



CAP.

VNDE HABET ROMA vt sit Roma, *id est*, Laudabilis.

CAPVT XI.

LAVDABILIS Roma ſicut & glorioſa, laudabiliſque ſecundum nomen, & adeo laudabilis, vt Apoſtoli voce etiam merita ſit laudari. Ideo Hieronymus, quaſi tanti honoris Romam vellet admonere, ſub finem Libri ſecundi aduerſus Iouinianum, ſic illam affatur; *Vrbs potens, Vrbs Orbis Domina, Vrbs Apoſtoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum.* Dominus ipſe tanti Romam fecit, vt, quaſi Petrum Apoſtolorum Principem ad eam miſiſſe non ſatis eſſe iudicaſſet, Paulum quem in vas electionis ſibi elegerat, illuc etiam voluerit mittere legatum. Huius legationis reſcriptum habetur Actuum Apoſtolorum Capite vigeſimo-tertio; *Conſtans eſto, ſicut enim teſtificatus es de me in Ieruſalem, ſic te oportet & Romæ teſtificari.* Perinde ac ſi dixiſſet Dominus; Scio, Paule, te iam multa pro meo nomine operatum & paſſum eſſe: Scio te multis iam populis Euangelium meum prædicaſſe: Sed quid hoc, niſi etiam & Romæ iſtud mihi exhibeas miniſterium? Roma,

vt scis, est Caput Mundi: Membra autem ex se sunt immobilia, & à solo Capite habent, vt moueantur: quid ergo proderit meum Verbum prædicasse membris, & non prædicasse Capiti? Egregium sanè ac præclarum de Romæ meritis testimonium. Videamus ergo vnde Romæ tantum laudis meritum? Vnde tanta gloriæ dignitas? Vnde tantum honoris culmen?

A Petra habet Roma, vt sit laudabilis & laudetur: à Petra altissima, scilicet Christo, qui est illius laus, illius gloria, illius honos, sicut & fortitudo, virtus, robur ac salus. A tempore, quo Roma facta est Ecclesia Christi, & eius Capitis visibilis suprema sedes, statim gloria Domini super illam orta est, eiusque portas occupauit laudatio.
Isai.60. Quia Roma est domus Maiestatis Dei, ideo glorificauit eam Deus: ideo pollicitus est illi esse in lucem sempiternam ac gloriam: Ideo attulerunt gentes, attulerunt reges, &
Apoc.21 in æternum afferent gloriam & honorem in illam. Qui est Rex gloriæ, & cui soli honor & gloria, basilicam honoris, palatium gloriæ in habitationem sibi voluit eligere.
Psal.134. Et quia magna est gloria Domini, ideo &
Psal.111. magna gloria in domo eius. Iure ac meritò laudanda illa Domus, quæ est Domus Dei infinitè laudabilis ac laudandi; in cuius do-
Psal.21. mus medio laudatur Dominus à Christo Fi-
Heb.2. Psal.83. lio, laudabiturque in sæcula sæculorum à fidelibus omnibus, qui in tam sancta domo

habitant, qui tam sanctæ petræ sunt habitatores, à Propheta ipso ad hoc iuuitati; *Laudate habitatores Petræ, de vertice montium clamabunt, ponent Domino gloriam, & laudem eius in insulis nnutiabunt.* Isai.42.

Maro, Latinorum Poëtarum facilè princeps, qui de Roma gloriosa ac laudabili tot gloriosa totque laudabilia decantauit; quem Marcellinus vocat ideo *Vatem excelsum, Vatem eminentissimum*, fortassis quod anagrammatismo *Maro* sit *Roma*, ideoque nomine ipso vates Excelsus, vates Laudabilis, cuius tanta est gloria, secundum Macrobium, vt nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur, de hac Romæ prærogatiua, nempe quod Domus Dei futura esset, ideoque laudata ac laudadda, cuiusque laudem nulla vox posset capere, egregiè vaticinatus est Æneidos nono. Turnus, Rutulorum rex, à Iunone in Teucros instigatus, dum Æneæ Teucrorum Ducis Ciuitatem oppugnaret, Nisum portam custodiisse, custodiæque comitem fidissimum Euryalum habuisse scribit ille vates excelsus, ac summopere laudandus.

Nisus erat portæ custos.
Et iuxta Comes Euryalus.
Ambo communi portam statione tenebant.
His amor vnus erat, pariterque in bella ruebant:

Sed paulo poſt Vrbem obſeſſam, hos duos chariſſimos Comites, cum in hoſtes erupiſſent, fuiſſe occiſos tradit: ambos autem, quod pro Patris Æneæ cauſa defendenda obierint, veré fortunatos eſſe, eorumque memoriam, quamdiu immobile Capitolij Saxum accolet domus Æneæ, imperiumque habebit Romanus Pater duraturam.

Fortunati ambo! ſi quid mea carmina poſſunt,
Nulla dies vnquam memori vos eximet avo,
Dum domus Ænea Capitoli immobile ſaxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

Quis Pater Æneas, pius ille Æneas, raptos qui ex hoſte penates claſſe vehit ſecum, quique fama ſuper æthera notus eſt, niſi Deus omnium creaturarum Pater? Pater verè pius, qui quaſi nutritius portat homines in bra-
Oſeæ 11. chiis ſuis; verè ſuper æthera notus, vt qui
Iob. 22. Cælo excelſior eſt, & ſuper Stellarum verticem ſubleuatus; verè Αἰνείας, id eſt laudabilis; (Αἰνείας ſiquidem deriuatum eſt à verbo αἰνέω, id eſt laudo) laudabilis ſuper omnes gentés, laudabilis ſuper omnes Deos; laudabilis nimis, vt qui à nulla creatura, nec ab Angelis ipſis ſatis dignè poſſit laudari.

Fieri enim non poteſt, vt ſatis dignè laudetur, qui maior eſt omni laude. Eccl. 43.

Quæ domus Æneæ, quæ domus laudabilis niſi Roma? nomine proprio, vt diximus, etiam laudabilis, & de qua meritò dixit Claudianus, nullam prorſus vocem eius laudem poſſe capere? Ratio enim poſtulat, vt omnem laudem ſuperet illa domus, quæ Domini omni laude maioris domus eſt. Mirum igitur, imo deplorandum, quomodo tot infames Chriſtiani Romam, Ciuitatem laudabilem, Deique laudabilis Ciuitatem, dereliquerint, vt Geneuam aliaſque vituperij Ciuitates ſequerentur! Quæ, inquam, domus Æneæ, niſi Romana Eccleſia? Eccleſia verè laudabilis, vera & vnica domus Dei laudabilis, in qua bonus ille pater filios fouet, & in qua olim Propheta Rex tam ardenter expetebat habitare, *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*: Pſal. 26. Sciens ex certa ſcientia extra domum Dei, extra eius Eccleſiam nullam prorſus ſalutem eſſe ſperandam.

Quis Niſus, niſi Petrus, fidelis domus Dei cuſtos, qui quoniam à Chriſto Domino illi datæ eſſent claues, noctes dieſque ad Eccleſiæ portas excubabat, ſciens quod Dominus præcipit Ianitori, vt vigilet: Marc. 13. qui verè Niſus, ac bellator fortiſſimus, totis viribus niſus eſt Eccleſiam Dei defendere, ſicut & reipſa defendit, & in perpetuum de-

fendet, ac defendet tam fortiter, vt aduersus eam nec Inferi portæ possint præualere.

Quis Euryalus, nisi Paulus, Petri fidissimus socius, cui Petrus ipse societatis dex-
Galat. 2. tram dederat, vt cum ambo essent vnus in Christo, iisque esset anima vna, cor vnum, & vnus amor, Ecclesiæ portam communi statione tenerent, ac eius custodiæ paribus inuigilarent curis. Verè Euryalus fuit Paulus: *Euryalus* enim Græcum est; compositum ex aduerbio εὐρὺ, id est latè & amplè, & verbo ἀλέω, congrego, vel ἁλιεύω, piscor, vel ἀλοάομαι, percutior, verberor, flagris cædor: Ita vt Euryalus sit idem ac latè & amplè congregans, latè & amplè piscans, latè & amplè percussus, verberatus flagrisque cæsus. Quis ex Apostolis, quis ex Discipulis, qui secuti sunt Christum, tam latè Domino congregauit oues, sicut Paulus? Quis tam latè ac tam amplè piscatus est animas? Quis propter Christum tam latè ac tam sæpè percussus, verberatus & flagris cæsus? Nullus profectò: Et qui de hoc dubitarit, legat Apostolorum Actus, legat ipsius Pauli Epistolas, legat monumenta quæ de illo nobis reliquerunt Ecclesiæ primitiuæ Patres, inueniet proculdubio plures Paulum congregasse ac piscatum esse, plus passum quam ipsum Petrum, imò plus quam omnes Apostolos simul. Hoc de se fatetur ipsemet Paulus in secunda Epistola, quam scribit ad
2. Cor. 11 Corinthios: *Ministri Christi sunt, (vt minus sapiens dico) Plus ego in laboribus plu-*

rimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis de genere, periculis ex gentibus, periculis in Ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Ideo per excellentiam vocatus Apostolus: Cuius prærogatiuæ rationem dat D. Augustinus libro 3. ad Bonifacium: *Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus Epistolis est notior, & plus omnibus illis laborauit.* Ideo vocatus Doctor Gentium: Nam vt scribit Isidorus ad Isidorum, *Vnusquisque Apostolorum, vt ita dicam, vna regione suscepta, eam optimè informauit: Paulus verò, tanquam alatus agricola, Orbem penè vniuersum perlustrauit, & ad ipsos terræ fines peruenit; vnde Gentium Doctor.* Verum de Petro & Paulo, iis duobus generosis commilitionibus, quid tandem actum est? Diabolus, quasi altera Iuno contra Paridem aliosque Troianos implacabili insaniens rabie, & cui

Lib. 3. Epist. 176

Nec dum etiam causæ irarum, sæuique dolores
Exciderant animo: Manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæque iniuria formæ,
Et genus inuisum;

Christicolas capitali prosequebatur odio; futuræ Romanæ Ecclesiæ inuidebat excelsitati; sæuiebat in Patrem Æternum, sæuiebat in Filium, sæuiebat in homines genus inuisum, & rabie ferè disrumpebatur, quod cum Angelus & Homo essent ambo rei, alter superbiæ, alter gulæ, Deus tamen illum damnasset, & huic remisisset peccatum: quod Diuinitas naturam humanam, tam deformem, naturæ Angelicæ, tam pulchræ, ante potuisset: quod Deus hominem se fecisset potius quam Angelum, vt hominem aureo beatitudinis æternæ pomo donaret. Ventis tempestatibusque quamplurimis, in excidium domus Dei, in exitium Ecclesiæ Christi eiusque Athletarum necem diu concitatis, Neronem alterum Turnum instigauit, aduersus quem cum pro tam Sancta domo defendenda fortiter pugnassent Petrus & Paulus, portæ custodes, tandem in agone à satellitibus, à tortoribus, à carnificibus Tyranni persecutoris interfecti sunt, alter nimirum in crucem actus, alter capite plexus. Magnanimi athletæ, fortissimi bellatores, sanctissimi socij, quos æuo memori nulla dies vnquam eximet,

Dum domus Æneæ Capitoli immobile Saxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

Imò permanebit in æternum gratiſſima illorum memoria. Domus enim Æneæ eſt domus Dei, eſt Eccleſia Chriſti in æternum omnino permanſura, quoniam æterna ſunt eius fundamenta. Quid enim Capitolij immobile Saxum aliud quam Petra? Petra illa ſolida, Petri immobilis & inconcuſſa petra, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, cui Chriſtus ipſe factus eſt lapis in caput anguli: Super quem lapidem qui ceciderit confringetur: Super quem vero ceciderit lapis iſte, conteret eum. *Saxum* autem idem eſſe ac *Petram* aut *Lapidem*, hoc ſciunt Grammatici, hoc docent Vocabularia, hoc fatentur Synonymorum periti. Nam quod Latini dicunt *Saxum*, Græci dicunt πέτραν & πέτρον. Bellarminus ipſe lib. 1. de Pontifice Romano, cap. 10 πέτρα nihil aliud quam *Saxum* ſignificare ſcribit. Ideo Ambroſius ſerm. 47. Petrum vocat Saxum immobile: *Pro ſoliditate*, inquit, *deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus, Tu es Petrus*, &c. *Petra enim dicitur, eo quod primus in actionibus fidei fundamenta poſuerit, & Saxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molemque contineat.* Matt. 21.

Quid Capitolium ipſum niſi ipſemet Pe-

trus? Petrus verè Capitolium, verè Caput, Ecclesiæ scilicet Caput visibile, sicut Christus est eius Caput inuisibile. Quoniam verò Petrus non est Caput Ecclesiæ nisi sub Christo Capite primario, ideo rectius dicitur Capitolium quam Caput *Capitolium* enim diminutiuum est à *Caput*, idemque sonat ac *Capitellum* seu *Capitulum*, id est paruum Caput. Quis autem non videt Petrum Ecclesiæ paruum esse Caput respectu Christi, qui magnum est eius Caput? Tanta profecto differentia inter Petrum & Christum, quanta inter terram & aurum optimum. Hoc constat ex Canticorum septimo, vbi Sponsus dicit ad Sponsam, *Caput tuum sicut Carmelus*: Sponsa verò dicit de Sponso, *Caput eius aurum optimum*. Sponsus comparat Caput Sponsæ Monti-Carmelo; quoniam etsi Petrus, & si Summus Pontifex, Petri successor, ingens sit mons, tamen nihil aliud est quam terra, id est homo. Sponsa comparat Sponsi Caput auro optimo, quia Christus, qui est eius Sponsus, Deus est sicut & homo. Ita ratiocinatur Bellarminus lib. 1. de Pontif. Romano, cap. 9.

Quis Pater Romanus nisi Pontifex Romanus, qui tanquam verus ac legitimus successor Petri Domus & Ecclesiæ Dei supremus est rector & administrator? quique summum in ea habet & habebit imperium, quandiu illa domus laudabilis immobile Capitolij saxum accolet; quandiu scilicet perma-

nebit in petra, hoc eſt in æternum. In hac ſancta ac verè laudabili domo Pater Romanus, qui eſt Paterfamilias, in perpetuum recordaturus eſt Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, vt quorum meritis ligandi & ſoluendi ſuprema poteſtas in Cælo & in terra illi data eſt à Chriſto.

In lege veteri Abraham credentium fuit Pater. In lege noua Pontifex ſeu Pater Romanus, quoniam ſucceſſor eſt Petri; qui Petrus, vt Euangelicæ legis Pater eſſet, à Chriſto idcirco in Apoſtolatum primus vocatus eſt, confirmatuſque in fide, vt ipſe ſuos fratres confirmaret. Quia Domino obediuit Abraham, ideo credentium Pater factus. Petrus eadem donatus eſt prærogatiua, quia cum voçatus eſt à Domino, relictis ſtatim Matt. 4.
retibus, ſecutus eſt eum. Quomodo autem tam benignæ tamque honorificæ vocationi non obediuiſſet, qui nomine ipſo erat Obediens, id eſt *Simon*, quod Syris ſummæ obedientiæ nomen eſt? Magnificatus eſt Abraham, quia ſimplex, & coram Domino in ſimplicitate cordis ſemper ambulauit. Magnificatus eſt Petrus, quia ſicut erat *Simon*, erat etiam *Barjona*, id eſt Filius Columbæ, ideoque ſimplex, imò ſimpliciſſimus. Summa enim ſimplicitas in Columbis eſt; vnde Matt. 10.
dicit ſimplicium ſimpliciſſimus, *Eſtote ſimplices ſicut Columbæ.* Et quia Petrus fuit Barjona, filius Columbæ, imò Columba, idcirco voluit Chriſtus, vt ſua vnica Columba,

quæ est Ecclesia, in Columbæ Petra nidum poneret, & in istius petræ foraminibus illi
Cant.2. suam ostenderet faciem; *Surge amica mea, & veni Columba mea; in foraminibus petræ ostende mihi faciem tuam.* Hieronymus ipse Epistola sexagesima ad Terentiam, de vera Circuncisione, Abrahamo Petrum comparat. Abrahamo, inquit, generatio larga promittitur, Petro generatio larga pascenda datur. Ab illo iustificata procedunt, in hoc iustificata fundantur. Itaque ille sperat, hic accipit.
Gen.17. Illi dicitur, *Faciam te in Gentem magnam*;
Matt.4. Huic dicitur, *Faciam te piscatorem homi-*
Gen. 23. *num.* Illi dicitur, *In semine tuo benedicentur*
Matt.19. *patriæ gentium*; huic dicitur, *Iudicabis duo-*
Gen.26. *decim tribus Israel.* Illi dicitur, *In stellis erit nomen tuum*; Huic dicitur, *Tibi dabo claues regni Cælorum*: Ac per hoc ille fœcunditate seminis benedicti impletur; hic ante semẽ ipsum euangelizaturus assistitur. Abrahæ pro filiis claritas monstratur astrorum, sed Petro traduntur regna Cælorum, videlicet vt in ea sine Petro nec ipsi filij Abrahæ possint intrare. Hactenus Hieronymus. Quid plura? Abraham ipse Pontificis Romani vera & perfecta figura fuit. Quid aliud enim *Abram*, primum illius Patriarchæ nomen, quam Pater Excelsus? Et quid Pater Excelsus aliud quam Pater Romanus? Nec dubium, quin Pontifici Romano tribuendum sit istud Virgilij,

Dum domus Æneæ Capitoli immobile Saxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

A Iulio Cesare ad nostrum vsque tempus, qui Romano præfuerunt Imperio, omnes vocati quidem sunt *Cesares*, *Imperatores*, *Augusti*; adjuncto quandoque alio quodam titulo, veluti *Germanicus*, *Illiricus*, *Parthicus*, &c. Secundum scilicet Prouincias ab Imperatoribus Romanæ ditioni subactas vel restitutas: Sed *Patris Romani* nomen nullum prorsus sibi vindicasse legimus. Quia ferè omnibus dominatus est superbiæ Spiritus, noluit Dominus, vt tam honorifico titulo titulorum seriem decorarent Imperatores. Vt quis verè sit Pater Romanus, vt quis sit Pater Excelsus & Pater Exaltatus, debet esse humilis sicut & Christus. Christus semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens; humiliauit semetipsum, factus obediens vsque ad mortem, & propterea exaltauit illum Pater. Summus Pontifex, successor Petri, & Christi summus Vicarius, *Patris Romani*, *Patris Excelsi* nomen consecutus est; super omnes Ecclesiæ Patres exaltatus est, ac per excellentiam *Beatissimi sanctissimique Patris* insignitus nomine, quia exinaniuit se, quia humiliauit se; non solum *Serui*, sed *Serui seruorum Dei* nomen accipiens: Dictusque simpliciter *Pa-*

pa id eſt *Pater*, quoniam eſt Pater Patrum,
Eccl. 32. vt ſuperius oſtendimus in tertio Capite. Quia
rectorem illum poſuit Dominus, ideo magnificis non vult extolli titulis: quanto ma-
Eccl. 3. ior eſt, eò magis ſe humiliat in omnibus, ſciens quod Dominus dixit Diſcipulis, ea ſcilicet die qua contendebatur inter eos, quis eorum reputandus eſſet maior; *qui maior*
Luc. 22. *eſt in vobis, fiat ſicut minor, & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator*: Scriptum eſt enim,
Gen. 25. *Maior ſeruiet minori.*



ROMA QVASI RVMA, *id est* Mamma *imò* Tonitruum, *ideoque Roma Mater censenda, Dominaque tonans ac fulminans.*

CAP. XII.

VRBS, secundum quosdam, dicta *Roma* quasi *Ruma*, quod pro *Mamma* dixerunt Antiqui, sicut & *Rumare* pro *Lactare*: & à *Ruma* factum *Roma*, sicut ab *humo homo*, mutando scilicet V in O. A *Ruma* Romæ conditorem eiusque fratrem, quod ambos lupa lactasset, iis præbens rumam, Romuli ac Remi nomina etiam sortitos autor est Festus. Sed quia apud arborem, quam dicunt fuisse Ficum, reperti sunt infantes gemini, dum Lupa iis rumam admoueret, à *Ruma* idcirco vocata *mina* seu Ruminalis illa ficus, quæ postea *Romula*, iuxta Nasonem Fastorum secundo.

Arbor erat, remanent vestigia, quæque vocatur
Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.

Ideo vocatus quoque *Ruminalis* vicus ille,

fendet, ac defendet tam fortiter, vt aduersus eam nec Inferi portæ possint præualere.

Quis Euryalus, nisi Paulus, Petri fidissimus socius, cui Petrus ipse societatis dex-
Galat. 2. tram dederat, vt cum ambo essent vnus in Christo, iisque esset anima vna, cor vnum, & vnus amor, Ecclesiæ portam communi statione tenerent, ac eius custodiæ paribus inuigilarent curis. Verè Euryalus fuit Paulus: *Euryalus* enim Græcum est; compositum ex aduerbio εὐρὺ, id est latè & amplè, & verbo ἁλίω, congrego, vel ἁλιεύω, piscor, vel ἀλοάομαι, percutior, verberor, flagris cædor: Ita vt Euryalus sit idem ac latè & amplè congregans, latè & amplè piscans, latè & amplè percussus, verberatus flagrisque cæsus. Quis ex Apostolis, quis ex Discipulis, qui secuti sunt Christum, tam latè Domino congregauit oues, sicut Paulus? Quis tam latè ac tam amplè piscatus est animas? Quis propter Christum tam latè ac tam sæpè percussus, verberatus & flagris cæsus? Nullus profectò: Et qui de hoc dubitarit, legat Apostolorum Actus, legat ipsius Pauli Epistolas, legat monumenta quæ de illo nobis reliquerunt Ecclesiæ primitiuæ Patres, inueniet proculdubio plures Paulum congregasse ac piscatum esse, plus passum quam ipsum Petrum, imò plus quam omnes Apostolos simul. Hoc de se fatetur ipsemet Paulus in secunda Epistola, quam scribit ad
2 Cor. 11 Corinthios: *Ministri Christi sunt, (vt minus sapiens dico) Plus ego in laboribus plu-*

rimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi. Ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci, nocte & die in profundo maris fui, in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis de genere, periculis ex gentibus, periculis in Ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus: In labore & ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate: præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, sollicitudo omnium Ecclesiarum. Ideo per excellentiam vocatus Apostolus: Cuius prærogatiuæ rationem dat D. Augustinus libro 3. ad Bonifacium: *Apostolus cum dicitur, si non exprimatur quis Apostolus, non intelligitur nisi Paulus, quia pluribus Epistolis est notior, & plus omnibus illis laborauit.* Ideo vocatus Doctor Gentium: Nam vt scribit Isidorus ad Isidorum, *Vnusquisque Apostolorum, vt ita dicam, vna regione suscepta, eam optimè informauit: Paulus verò, tanquam alatus agricola, Orbem penè vniuersum perlustrauit, & ad ipsos terræ fines peruenit; vnde Gentium Doctor.* Verum de Petro & Paulo, iis duobus generosis commilitionibus, quid tandem actum est? Diabolus, quasi altera Iuno contra Paridem aliosque Troianos implacabili insaniens rabie, & cui

Lib. 3. Epist. 176

Nec dum etiam causæ irarum, sæuique dolores
Exciderant animo: Manet alta mente repostum
Iudicium Paridis, spretæque iniuria formæ,
Et genus inuisum;

Christicolas capitali prosequebatur odio; futuræ Romanæ Ecclesiæ inuidebat excelsitati; sæuiebat in Patrem Æternum, sæuiebat in Filium, sæuiebat in homines genus inuisum, & rabie ferè disrumpebatur, quod cum Angelus & Homo essent ambo rei, alter superbiæ, alter gulæ, Deus tamen illum damnasset, & huic remisisset peccatum: quod Diuinitas naturam humanam, tam deformem, naturæ Angelicæ, tam pulchræ, ante potuisset: quod Deus hominem se fecisset potius quam Angelum, vt hominem aureo beatitudinis æternæ pomo donaret. Ventis tempestatibusque quamplurimis, in excidium domus Dei, in exitium Ecclesiæ Christi eiusque Athletarum necem diu concitatis, Neronem alterum Turnum instigauit, aduersus quem cum pro tam Sancta domo defendenda fortiter pugnassent Petrus & Paulus, portæ custodes, tandem in agone à satellitibus, à tortoribus, à carnificibus Tyranni persecutoris interfecti sunt, alter nimirum in crucem actus, alter capite plexus. Magnanimi athletæ, fortissimi bellatores, sanctissimi socij, quos æuo memori nulla dies vnquam eximet,

Dum domus Æneæ Capitoli immobile Saxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

Imò permanebit in æternum gratissima illorum memoria. Domus enim Æneæ est domus Dei, est Ecclesia Christi in æternum omnino permansura, quoniam æterna sunt eius fundamenta. Quid enim Capitolij immobile Saxum aliud quam Petra? Petra illa solida, Petri immobilis & inconcussa petra, super quam ædificata est Ecclesia, cui Christus ipse factus est lapis in caput anguli: Super quem lapidem qui ceciderit confringetur: Super quem vero ceciderit lapis iste, conteret eum. Matt.21. *Saxum* autem idem esse ac *Petram* aut *Lapidem*, hoc sciunt Grammatici, hoc docent Vocabularia, hoc fatentur Synonymorum periti. Nam quod Latini dicunt *Saxum*, Græci dicunt πέτραν & πέτρον. Bellarminus ipse lib.1. de Pontifice Romano, cap.10 πέτρα nihil aliud quam *Saxum* significare scribit. Ideo Ambrosius serm.47. Petrum vocat Saxum immobile: *Pro soliditate*, inquit, *deuotionis Ecclesiarum Petra dicitur, sicut ait Dominus, Tu es Petrus*, &c. *Petra enim dicitur, eo quod primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, & Saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat.*

Quid Capitolium ipsum nisi ipsemet Pe-

trus? Petrus verè Capitolium, verè Caput, Ecclesiæ scilicet Caput visibile, sicut Christus est eius Caput inuisibile. Quoniam verò Petrus non est Caput Ecclesiæ nisi sub Christo Capite primario, ideo rectius dicitur Capitolium quam Caput *Capitolium* enim diminutiuum est à *Caput*, idemque sonat ac *Capitellum* seu *Capitulum*, id est paruum Caput. Quis autem non videt Petrum Ecclesiæ paruum esse Caput respectu Christi, qui magnum est eius Caput? Tanta profectò differentia inter Petrum & Christum, quanta inter terram & aurum optimum. Hoc constat ex Canticorum septimo, vbi Sponsus dicit ad Sponsam, *Caput tuum sicut Carmelus*: Sponsa verò dicit de Sponso, *Caput eius aurum optimum*. Sponsus comparat Caput Sponsæ Monti-Carmelo; quoniam etsi Petrus, & si Summus Pontifex, Petri successor, ingens sit mons, tamen nihil aliud est quam terra, id est homo. Sponsa comparat Sponsi Caput auro optimo, quia Christus, qui est eius Sponsus, Deus est sicut & homo. Ita ratiocinatur Bellarminus lib. 1. de Pontif. Romano, cap. 9.

Quis Pater Romanus nisi Pontifex Romanus, qui tanquam verus ac legitimus successor Petri Domus & Ecclesiæ Dei supremus est rector & administrator? quique summum in ea habet & habebit imperium, quandiu illa domus laudabilis immobile Capitolij saxum accolet; quandiu scilicet perma-

nebit in petra, hoc eſt in æternum. In hac ſancta ac verè laudabili domo Pater Romanus, qui eſt Paterfamilias, in perpetuum recordaturus eſt Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, vt quorum meritis ligandi & ſoluendi ſuprema poteſtas in Cælo & in terra illi data eſt à Chriſto.

In lege veteri Abraham credentium fuit Pater. In lege noua Pontifex ſeu Pater Romanus, quoniam ſucceſſor eſt Petri; qui Petrus, vt Euangelicæ legis Pater eſſet, à Chriſto idcirco in Apoſtolatum primus vocatus eſt, confirmatuſque in fide, vt ipſe ſuos fratres confirmaret. Quia Domino obediuit Abraham, ideo credentium Pater factus. Petrus eadem donatus eſt prærogatiua, quia cum voçatus eſt à Domino, relictis ſtatim Matt. 4.
retibus, ſecutus eſt eum. Quomodo autem tam benignæ tamque honorificæ vocationi non obediuiſſet, qui nomine ipſo erat Obediens, id eſt *Simon*, quod Syris ſummæ obedientiæ nomen eſt? Magnificatus eſt Abraham, quia ſimplex, & coram Domino in ſimplicitate cordis ſemper ambulauit. Magnificatus eſt Petrus, quia ſicut erat *Simon*, erat etiam *Barjona*, id eſt Filius Columbæ, ideoque ſimplex, imò ſimpliciſſimus. Summa enim ſimplicitas in Columbis eſt; vnde Matt. 10.
dicit ſimplicium ſimpliciſſimus, *Eſtote ſimplices ſicut Columbæ.* Et quia Petrus fuit Barjona, filius Columbæ, imò Columba, idcirco voluit Chriſtus, vt ſua vnica Columba,

quæ eſt Eccleſia, in Columbæ Petra nidum poneret, & in iſtius petræ foraminibus illi
Cant. 2. ſuam oſtenderet faciem; *Surge amica mea, & veni Columba mea; in foraminibus petræ oſtende mihi faciem tuam.* Hieronymus ipſe Epiſtola ſexageſima ad Terentiam, de vera Circunciſione, Abrahamo Petrum comparat. Abrahamo, inquit, generatio larga promittitur, Petro generatio larga paſcenda datur. Ab illo iuſtificata procedunt, in hoc iuſtificata fundantur. Itaque ille ſperat, hic accipit.
Gen. 17. Illi dicitur, *Faciam te in Gentem magnam*;
Matt. 4. Huic dicitur, *Faciam te piſcatorem homi-*
Gen. 23. *num.* Illi dicitur, *In ſemine tuo benedicentur*
Matt. 19. *patriæ gentium*; huic dicitur, *Iudicabis duo-*
Gen. 26. *decim tribus Iſrael.* Illi dicitur, *In ſtellis erit nomen tuum*; Huic dicitur, *Tibi dabo claues regni Cælorum*: Ac per hoc ille fœcunditate ſeminis benedicti impletur; hic ante ſemẽ ipſum euangelizaturus aſſiſtitur. Abrahæ pro filiis claritas monſtratur aſtrorum, ſed Petro traduntur regna Cælorum, videlicet vt in ea ſine Petro nec ipſi filij Abrahæ poſſint intrare. Hactenus Hieronymus. Quid plura? Abraham ipſe Pontificis Romani vera & perfecta figura fuit. Quid aliud enim *Abram*, primum illius Patriarchæ nomen, quam Pater Excelſus? Et quid Pater Excelſus aliud quam Pater Romanus? Nec dubium, quin Pontifici Romano tribuendum ſit iſtud Virgilij,

Dum domus Æneæ Capitoli immobile Saxum
Accolet, imperiumque Pater Romanus habebit.

A Iulio Cesare ad noſtrum vſque tempus, qui Romano præfuerunt Imperio, omnes vocati quidem ſunt *Ceſares*, *Imperatores*, *Auguſti*; adjuncto quandoque alio quodam titulo, veluti *Germanicus*, *Illiricus*, *Parthicus*, &c. Secundum ſcilicet Prouincias ab Imperatoribus Romanæ ditioni ſubactas vel reſtitutas: Sed *Patris Romani* nomen nullum prorſus ſibi vindicaſſe legimus. Quia ferè omnibus dominatus eſt ſuperbiæ Spiritus, noluit Dominus, vt tam honorifico titulo titulorum ſeriem decorarent Imperatores. Vt quis verè ſit Pater Romanus, vt quis ſit Pater Excelſus & Pater Exaltatus, debet eſſe humilis ſicut & Chriſtus. Chriſtus ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens; humiliauit ſemetipſum, factus obediens vſque ad mortem, & propterea exaltauit illum Pater. Summus Pontifex, ſucceſſor Petri, & Chriſti ſummus Vicarius, *Patris Romani*, *Patris Excelſi* nomen conſecutus eſt; ſuper omnes Eccleſiæ Patres exaltatus eſt, ac per excellentiam *Beatiſſimi ſanctiſſimique Patris* inſignitus nomine, quia exinaniuit ſe, quia humiliauit ſe; non ſolum *Serui*, ſed *Serui ſeruorum Dei* nomen accipiens: Dictuſque ſimpliciter *Pa-*

ROMA QVASI RVMA, *id est* Mamma *imò* Tonitruum, *ideoque Roma Mater censenda, Dominaque tonans ac fulminans.*

Cap. XII.

VRBS, secundum quosdam, dicta *Roma* quasi *Ruma*, quod pro *Mamma* dixerunt Antiqui, sicut & *Rumare* pro *Lactare* : & à *Ruma* factum *Roma*, sicut ab *humo homo*, mutando scilicet V in O. A *Ruma* Romæ conditorem eiusque fratrem, quod ambos lupa lactasset, iis præbens rumam, Romuli ac Remi nomina etiam sortitos autor est Festus. Sed quia apud arborem, quam dicunt fuisse Ficum, reperti sunt infantes gemini, dum Lupa iis rumam admoueret, à *Ruma* idcirco vocata *mina* seu Ruminalis illa ficus, quæ postea *Romula*, iuxta Nasonem Fastorum secundo.

Arbor erat, remanent vestigia, quæque vocatur
Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.

Ideo vocatus quoque *Ruminalis* vicus ille,

qui in tantæ charitatis memoriam inibi postea fuit excitatus. Ideo *Rumurius* dictus mons Auentinus. Hinc ipse Fluuius Tiberis cognominatus *Rumo*. Hinc *Rumina* Dea; cui Deæ, vt rumis, vt mammis, vberibus puerisque lactentibus præesset, fanum deinde votum atque consecratum. Hinc Roma nudo & exerto pectore rumam gestans pingi solita: Vnde Sidonius Apollinaris Paneg. ad Maioranum V.

Sederat exerto bellatrix pectore Roma.

Et Clarius Corippus libro primo.

Addidit antiquam tendentem bracchia Romam,
Exerto & nudo gestantem pectore mammam.

Quoniam verò tum matres cum nutrices filios alumnosve fouent atque tuentur, mammæque sunt veluti montes, veluti arces & propugnacula, quò tanquam in asylum confugiunt lactentes infantuli, dum in matrum aut nutricum gremio aliquo percutiuntur metu, fortassis à *Ruma* Græcè dixere ῥῦμα vt tutamen ac munimentum significarent. Hippocrati prætere ῥύματα sunt illa remedia præsentissima, quæ hominem è mortis periculo possunt conseruare. *Rumex*, secundum Festum, significat *telum*, teli scilicet genus, simile spari Gallici. Antoniusque Nebrissensis, sui æui Grammaticus haud dubiè illustris, in suo Regio Vocabulario *rumam*

mam veteribus *tonitruum* etiam ſignificaſſe ſcribit.

Si à Ruma Roma, ſi *Roma* idem ſit ac *Ruma*: Si matris aut nutricis inſtar nudo pectore rumas lacte turgentes exerit Roma, verè igitur mater eſt, & verè nutrix. In omni namque animantium genere quænam, oro, femina, niſi quæ rumas lacte refertas geſtet, matris vel nutricis nomen ſibi arrogare audeat? Dionyſio Halicarnaſſeo Mater Roma dicitur; nec nudo duntaxat titulo Mater, ſed omnium Mater Vrbium, Μητηρ πασῶν πολίων. A Rutilio vocatur Mater Mundi & Altrix Orbis. Et quia in gremio victos & victores æquo foueret amore, ideo Claudianus humani generis Matrem potiuſquam Dominam habendam eſſe cenſet.

Hæc eſt, in gremium victos quæ ſola recepit, Claud. in Stilic. conc.
Humanumque genus communi nomine fouit;
Matris, non Dominæ ritu, ciueſque vocauit
Quos domuit, nexuque longinqua reuinxit.

Illuſtris ac generoſa proculdubio Roma, imo illuſtriſſima & generoſiſſima, quod domitos etiam populos pro ciuibus haberet, omneſque totius Orbis homines in filios benigna mater aſciſceret. Sed eò illuſtrior, eò generoſior, quod nec ſeruos nec barbaros vellet

habere ciues. Siquidem ex Imperatoris Antonini constitutione, solis seruis ac barbaris exclusis, ciues Romani facti sunt quicunque in Orbe essent, etiamsi Romam nunquam vidissent, nec Italiæ fines duntaxat essent ingressi. Vt quis esset Ciuis Romanus, Romanæ ditioni subditum esse sufficiebat. Ideo Sidonius libro primo Romam appellat Patriam libertatis, vnicam totius Mundi Ciuitatem in qua soli barbari & serui peregrinantur.

Ante aduentum, ante passionem Christi erat quidem Mater Roma, sed filiorum hominum erat tantum mater. Postquam verò passus est Christus, vbi resurrexit, vbi Cælos ascendit, vbi ad Patrem reuersus est, vbi Paracletum ad suos misit Apostolos, filiorum Dei tandem facta est mater. Et ab eo tempore, quo tanta maternitate donata est Roma, alios quam Romæ filios pro filiis Pater Æternus habere noluit. Cæteros omnes, vt spurios & ex ancilla procreatos omnino rejicit: Nec spuriis illis vlla prorsus in patris hæreditate speranda portio, nisi prius Romæ se subiecerint, eosque in filios illa adoptarit.

Sed vnde tantus honos? Vnde tanta Romæ gratia, vt filiorum Dei Mater fieri meruita sit? A Petra, & in virtute Petræ: à Domino, qui est altissima Petra, factum est istud, & est mirabile in oculis nostris: A Petro Apostolorum Principe, à Petro Eccle-

siæ fundamentali petra, & Clauium summo custode, qui ab Ecclesiæ incunabulis Cathedram & sedem Romæ constituit. Filij Dei tantum sunt, qui sunt filij Ecclesiæ; nemoque Deum patrem habere potest, qui Ecclesiam matrem habere noluerit. Filij Dei tantum sunt, qui habitant in domo Dei Domus enim Dei est ipsamet Ecclesia. In domo Dei habitant ij soli, qui habitant in petra, quia petra ipsa est domus Dei: quippe dixit Iacob per prophetiam, *Lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei.* Gen.28. In petra habitant tantum ij, qui Romæ habitant, id est qui Romanæ obediunt Ecclesiæ, eiusque orthodoxa ac sacrosancta sequuntur dogmata: Romæ etenim tantummodo firma, solida, fundamentalis immobilisque consistit Petra, super quam Christus, qui est petra angularis, suam ædificauit Ecclesiam. Verum vt quis Dei filiorum ascribatur numero, vt sanctæ Ciuitatis recipiatur Ciuis, quænam requiritur conditio? Debet esse liber, debet esse fidelis, debet omnino cauere ne mortaliter peccet; per peccatum namque homo amittit libertatem, quoniam qui facit peccatum seruus est peccati: Imò per peccatum fit barbaris, infidelis, inimicus Dei, Satanæ mancipium, ideoque Ciuitates Domini iure indignus: nulla enim conuentio Christi ad Belial, neque pars fideli cum infideli. 2.Cor.6.

Roma vetus nudum pectus proferebat, nū-

dasque exerebat rumas. Roma noua (Ecclesia nimirum Christi, quæ Romæ & fundamentum & Caput habet) nudas quoque exponit mammas: sed quare nudas? Quia per pulchræ sunt, & in iis conspiciendis oblectatur eius dilectissimus Sponsus, oblectaturque tam vehementer, vt lætitia quasi gestiens, & hinnuli instar subsiliens, exclamet
Cant.4. præ gaudio; *quàm pulchræ sunt mammæ tuæ, soror Sponsa.* Nuda proponit vbera, vt lactet quicunque petierit mammam, & voluerit lactari: vt ex vberibus defluat veræ doctrinæ lac, quo Filios Dei, quorum est mater, inebriet omni tempore. Christus, Ro-
Cant.5. manæ Ecclesiæ Sponsus, apertum profert latus, vt inde tanquam à torculari manet sanguis, imò vinum iucundissimum, quod cum lacte dilectissimæ Sponsæ misceat, vtque fauo ac melle saturati filij obedientes, amicique charissimi, de nectare tam dulci tam-
Cant.5. que suaui bibant, donec inebrientur: *Comedi fauum meum cum melle, bibi vinum cum lacte meo: Comedite amici, & bibite, & inebriamini.* Romæ rumæ, Romanæ Ecclesiæ mammæ sola sunt vbera, vnde fluit lac veritatis, lac salutis & gratiæ, lac vitæ æternæ. Hereticæ rumæ, Schismaticæ mammæ sunt vbera putrida, vbera tabe affecta, & vlceribus vndique scatentia, vnde non potest manare aliud quam lac erroris ac mendacij, lac iniquitatis & damnationis, lac amarissimum, lac fetidum ac sanie plenum, lac ve-

nenatum & omnino mortiferum ; quod lac quicunque ſugit moritur, & moritur in æternum , niſi ad Romanam confugiat Eccleſiam , quæ ϛυματα , quæ antidotum ſola aſſeruat & poteſt præbere.

Romana Vrbs tendebat brachia : Romana Eccleſia omnibus projicit vlnas , Infidelibus porrigit manum , Hæreticis complexum offert , Schiſmaticos ad priſtinam vocat concordiam, eoſque omnes , vt filios legitimos, in gremio fouere pollicetur, dummodo relinquant Ciuitates Moab , & veniant habitatum in petra, quæ eſt ſola Dei domus & Eccleſia : Domus vberrima , domus abundantiſſima, omnique bonorum genere affluens , imò redundans , & à cuius vbertate inebriantur qui habitant in ea : Sancta domus, ſacra apotheca, in qua aſſeruantur Sacramenta, Chriſti Sponſi ſacra pignora ; pretioſa illa ſalutariaque ϛυματα , quæ infirmo ſanitatem reſtituunt, quæ ſaucio vulnera curant, quæ moribundum è mortis periculo conſeruant ; imò iam mortuum , iam fetidum, & in peccati ſepulchro iacentem in vitam reuocant, eique tandem concilient vitam, quæ morti amplius non ſit obnoxia.

Roma eſt mater , mater benigna , mater ſuauis, mater amabilis, mater amatrix, quæ ſingulari ſummoque amore ſuos filios complectitur. Nec mirum ſi tam vehementer amat illa mater, quæ nomine ipſo eſt *Amor*, & Amor ipſe. Chriſtus Dominus, qui cum

Patre mundum summopere diligente vnus est, quique adeo dilexit homines, vt pro iis mori voluerit, priusquam cum Roma fœdus ineat, priusquam in Sponsam eam sibi deligat, vult vt Petrus, Romæ futurum Caput & Oeconomus, eiusque in hac causa stipulator, de illius amore fidem præstet; nec semel tantum, nec bis, sed ter: Ter enim quærit à Petro, an seriò illum amet; *Simon Ioannis, diligis me plus his? Simon Ioannis, diligis me? Simon Ioannis, amas me?* Ter respondet Petrus pro Ecclesia, se omnino illum amare; *Etiam Domine, tu scis quia amo te: Etiam Domine, tu scis quia amo te: Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te.* Et post fidem amoris acceptam etiam ter Christi & Ecclesiæ Romanæ promittuntur nuptiæ; *Pasce agnos meos, Pasce agnos meos, Pasce oues meas.* Pasce agnos meos, id est nouitios; Pasce oues meas, id est prouectos; vt discant Christiani, non solum nouitios, & in fide instituendos subesse Petro, & Pontifici Romano eius successori, sed & prouectos, & quoscunque Christiani gregis primores, quantumuis spirituales, eruditos & sanctos: nec posse esse Christianum, quicunque sit, qui dicit se non esse sub cura Petri Pastoris. Petro autem bis dicitur, *Pasce agnos meos, Pasce agnos meos*, vt intelligat duos populos pascendos sibi commissos, Iudaicum scilicet & Gentilem. Ter interrogatur, *Simon Ioannis, diligis me?* Vt trina responsione eius in

Chriſtum amoris exprimeretur magnitudo. Qui enim ter dicit, *Amo te*, dicit ſe amare in gradu ſuperlatiuo : quem gradum noſtrates ideo declarant numero ternario, dicentes verbi gratia, *tres-bon*, *tres-beau*, *tres-heureux*, quaſi *ter bonus*, *ter pulcher*, *ter felix*, id eſt *optimus*, *pulcherrimus*, *feliciſsimus*. Ter interrogatur Petrus, vt trina confeſſione amoris & fidei trinam diluat negationem, quam admiſit. Ter examinatur, quod tribus modis oues teneretur curare, doctrinæ verbo, vitæ exemplo, atque temporali ſubſidio. Quia igitur plus omnibus diligit Petrus, ideo Princeps Paſtorum, ideo magnus ouium Paſtor gregem paſcendum illi committit: ideo Principem Apoſtolorum Eccleſiæque Caput illum conſtituit, & dat illi claues regni Cælorum. Quia, inquam, plus omnibus amat Petrus, ideò ter confirmatur ouium Domini ſupremus Paſtor & Rector, *Paſce*, *Paſce*, *Paſce*, vt intelligat Petrus tantæ dignitatis collationem non ſolum ab vna ſanctiſſimæ Triadis perſona, ſed à Tribus, Patre videlicet, Filio & Spiritu Sancto, eſſe approbatam. Quia omnium amorem & fidem ſvperauit eius amor & fides, tanta tamque ſingulari gratia meretur donari, vt qui prius fuit *Simon Bar-Iona*, filius Ionæ, filius Columbæ, Chriſti gratia iam fit *Simon Ioannis*, filius gratiæ, & domicilium, in quo reſidet ipſamet gratia : Hocquè factum, vt inde diſcat Petri ſucceſſor ſe debere Co-

lumbinam ſimplicitatem præ ſe ferre, & multis ornari gratiis.

Veram ſi Roma eſt Mater, ergo & Domina: Nullum quippe legitimius, nec rationi magis conſentaneum, quam Matrum in filios dominium. A Creatòre, à Natura ipſa æquè ac Patribus Matribus in filios ſummum conceſſum eſt imperium. Dominus ipſe Ieſus Chriſtus, qui non vt ſolueret, ſed adimpleret legem, in mundum venerat, licet dominantium Dominator, licet terræ Cælique ſupremus Dominus, quia filius Mariæ, quia Ioſephi crèditus filius, ambobus ideo ſubditus fuit: idque conceptis verbis teſtatur ipſa
Luc.2. Scriptura; *Deſcendit cum eis, & venit Na-*
Ioan.2. *zareth, & erat ſubditus illis.* Æquum eſt,
Ep.1. vt ſit Domina, & Domina electa, quæ Domini Sponſa eſt. Nomine ipſo Roma eſt Domina: nam ſi elementa duo, quibus Hebraicè conſtat *Roma*, ordine legeris inuerſo, habebis vel *Mora*, vel *Mara*, vel *Mira*, quæ vocabula Syriacè, Chaldaicè & Arabicè reipſa ſignificant Dominam,

Sed Romæ Dominæ quantum, quæſo, Dominium? quanta eius amplitudo? Quovſque protenditur? Quibus determinatur finibus? Quibus circunſcribitur terminis? Quanta Terra, quantum Cælum, tantum Romæ Im-
Pſal.71. perium. Dominatur à Mari vſque ad Mare, & à flumine vſque ad terminos Orbis terrarum. Coram eius Summo Pontifice, quia Chriſti Summus eſt Vicarius, procidunt

Æthiopes, & inimici eius terram lingunt, & adorant eum omnes reges. Datus est ei Dan.7. principatus & honor & regnum, & omnes populi seruiunt ei. Romæ obtigit quod Abrahami coniugi, quæ prius vocata *Sarai*, id id Domina mea, seu Domina domus meæ, vt exponit D Hieronymus; & post pactum à Deo fœdus, & promissum filium, appellata *Sarah*, hoc est absolutè Domina, addit idem Sanctus Interpres. Dum Roma filiorum hominum Mater tantum fuit, solius terræ, quæ hominum est habitatio, Domina tantum fuit. Sed à tempore, quo filiorum Dei Mater est facta, nec solum remansit terræ Domina, sed salutata est Domina Cæli, quod est filiorum Dei hæreditas & regnum; ideoque totius Vniuersi facta est Domina, & in sempiternum futura est. Regni quippe Christi, cuius est Sponsa Romana Ecclesia, non erit finis, nec vlli nisi Romano tradetut populo. Comminuet quidem, & consumet vniuersa Mundi regna, sed ipsum nullo vnquam æuo dissipabitur, imò stabit in æternum, quoniam regnum Christi regnum est omnium sæculorum, & eius generatio in omni generatione & generationem.

Quid autem filiis præuaricantibus sperandum? Quid expectandum contumacibus, qui Matri Dominæ precipienti denegant obsequium? Quid supplicij præparatur ingratis, qui Matri pacis osculum præbenti in faciem expuunt, qui vbera admouentem viperino

dente mordent, qui mammas porrigentem lacerant, qui vt lac euomant tantummodo lactent, qui corripientem contumeliis afficiunt, qui eorum causa lacrymantem irrident, qui panem Cælestem in alimentum suppeditatum proiiciunt canibus, qui vt meretrices sequantur ex tam benignæ matris gremio fugiunt, qui in eius excidium cum hostibus fœdus ineunt, qui vt eam interficiant die nocteque illi insidiantur? Tonabit de Cælo Dominus, rumæ suæ rumicibus percutiet eos, capita eorum confringe fulmine, & quia obliti sunt Deum, qui nutriuit eos, & contristauerunt Romam Ecclesiam, Matrem Nutricemque suam; quia Petram, in qua habitabant, reprobauerunt, ideo obruentur petris, ideo contundentur lapidibus. Tonabit Roma, tonabit Ecclesia, iureque tonabit; illi enim *rumam*, *rumicem*, tonitruum, telum & fulmen in manu dedit Altitonans, vt quoscunque gygantes qui in eam insurrexerint, vt filios ipsos etiam fulminet, si ab ea defecerint, aut deficere moliti sint. Si enim Ecclesia pulchræ dilectionis est mater, timoris etiam est mater, terribilis vt castrorum acies ordinata. Fulminandi potestatem habet Roma, quia est Ecclesia Dei; quia est Sponsa Christi Iesu, cui Pater fulmina dedit sicut & omnia; & quia Sponsus eadem potestate, qua donauit illum Pater, suam dilectissimam Sponsam etiam donare voluit. Ecclesiæ tonantis *ruma*, Ecclesiæ fulminan-

tis *rumices* formidandi ſunt; nunquam enim feriunt quin ſaucient : plagæ omnes, quas imprimunt eius fulmina, ſunt tot vulnera lethifera, quibus oportet moriantur feriti, niſi reſipiſcant, niſi penitentiam agant, niſi reuertantur ad Dominam, & humilient ſe ſub manu illius : niſi citò in Matris gremium redeant, vt iis applicet ſacra illa & ſalutaria *rumata*, quæ ſola priſtinam poſſunt reſtituere ſalutem, & è mortis æternæ periculo conſeruare.



Ρώμη *quasi* Ρόμη, *id est* Vicus *seu* Ruina, *quod est nomen inclinationis & humiliationis.*

Cap. XIII.

DIVVS Hieronymus lib.2. aduersus Iouinianum, sub finem, Romam sic alloquitur. Vrbs potens, Vrbs Orbis Domina, Vrbs Apostoli voce laudata, interpretare vocabulum tuum. *Roma* aut fortitudinis nomen apud Græcos, aut sublimitatis iuxta Hebræos. Serua quod diceris, virtus te *Excelsam* faciat, non voluptas *Humilem*. Maledictionem, quam tibi Saluator in Apocalypsi comminatus est, potes effugere per pœnitentiam, habens exemplum Niniuitarum. Caue Iouiniani nomen, quod de Idolo deriuatum est. Nam de Roma scriptum est, *Vox in Rama audita est*: Hactenus Hieronymus.

Quod de Rama igitur dictum, ex sententia ipsa huius sanctissimi Doctoris de Roma dictum esse censendum est: nec absque fundamento. Siquidem Hebraicè *Rama* & *Roma* iisdem planè constant elementis, Excelsamque ac Sublimem ambo significant. Hoc

ex ipſa liquet Scriptura: quamuis enim Matthæus vernaculo *Rama* vtatur vocabulo; *Vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus*: Interpres tamen Ieremiæ, ex cuius prophetia deductum eſt iſtud vaticinium, *Rama* in *Excelſum* vertit; *Vox in Excelſo audita eſt lamentationis, luctus & fletus Rachel plorantis filios ſuos*: Veriſimileque exiſtimo Prophetam Bethlehem potiuſquam Rama dixiſſe, *Vox in Bethlehem audita eſt*, niſi Romæ ſicut & Ramæ eiuſmodi lamentationem, luctum & fletum prænuntiare illius fuiſſet animus. Occiſio quippe puerorum in Bethlehem incepta eſt, & propter illam præcipuè facta, quod in ea natum eſſe Regem Iudæorum Herodes reſciuiſſet.

Matt. 2.

Iere. 31.

Luctuoſæ illæ calamitates, calamitoſæ illæ fortunarum direptiones, deflendæ illæ Ciuium cædes, ſacrilegæ illæ templorum pollutiones, deploranda illa ædium excidia & incendia, quæ à Vitige, à Genſerico, ab Alarico, ab Athaulpho, à Totila, aliiſque Imperij Romani hoſtibus toties perpeſſa eſt Roma, & quæ eius magnitudinem ad nihilum ferè redegere, à Prophetis omnia illi fuere prænuntiata: Nec ſolum ſub *Ramæ*, verum etiam ſub *Boſra* nomine, ſecundum ipſummet Hieronymum, vt apud Ieremiam; *Quia per metipſum iuraui, dicit Dominus, quod in ſolitudinem, & in opprobrium, & in deſertum, & in maledictionem erit Boſra*: Et ſub *Babylonis*, maximè à Ioanne, in Apo-

Ierem. 9.

calypsi, Capitibus scilicet 14. 16. 17. & 18. Vbi inter alias hæ habentur maledictiones.

Apoc.18. *Væ, væ Ciuitas illa magna Babylon, Ciuitas illa magna, quæ amicta erat bysso, & purpura, & cocco, & deaurata erat lapide pretioso & margaritis; quoniam vna hora destituta sunt tantæ diuitiæ. Væ, væ Ciuitas illa magna, in qua diuites facti sunt omnes, qui habebant naues in mari, de pretiis eius, quoniam vna hora desolata est.* Et de Regibus, scilicet Gothorum, Vandalorum, Hunorum & Longobardorum, per decem cornua figuratis, quibus Romanorum Imperium euertendum commiserat Dominus, dictum est;

Apoc.17. *Hi odient fornicariam, & desolatam facient illam & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Quod autem Ioannes in Apocalypsi per Babylonem intelligat Romam, id probat Tertullianus lib.3. contra Marcionem, & lib. contra Iudæos: aperteque colligitur ex ipsius Apocalypsis Capite septimo, vbi dicitur Babylon magna sedere supra septem montes, & habere imperium super Reges terræ. Nulla enim alia Ciuitas quam Roma Ioannis tempore imperium habuit super Reges terræ; & notissimum est Romam supra septem montes ædificatam esse. Petrus ipse in priori Epistola Romam vocat Babylonem, *Salutat vos*

1. Pet.5. *Ecclesia in Babylone collecta, & Marcus filius meus.* Hanc autem Epistolam ex Roma, quæ dicitur Babylon, scriptam esse testis est

Papias, Apoſtolorum Diſcipulus, apud Euſebium, Hiſt lib. 2. cap. 15. Papias, inquit Euſebius, & hoc dicit, quod Petrus in prima ſua Epiſtola, quam de Vrbe Roma ſcripſit, meminerit Marci, in quâ tropicè Romam Babylona nominauit, cum dicit; *Salutat vos ea, quæ in Babylone collecta eſt Eccleſia, & Marcus filius meus.* A Sibylla etiam Roma dicitur Babylon: Sic enim ait, de Nerone Vaticinans.

Aufugiet de Babylone malus Rex horribilisque, Sibyll. Orac. lib. 5.
Quem malè mortales omnes odêre bonique.

Quod adhuc clarius patet ex ſequentibus; dicit enim ipſam Babylonem eſſe Italiæ terram, per quam Sancti periêre.

Deque polo veniet ſidus magnum in mare magnum,
Altumque exuret Pontum, atque ipſam Babylonem,
Italiæ terram, per quam periere frequentes
Sancti Hebræorum fidi, delubraque vera.

Sed hic notent Hæretici, neque Ioannem, neque Petrum, neque Sibyllam vocare *Babylonem* Romanam Eccleſiam, ſed Romanam duntaxat Vrbem, qualem Ioannis tempore fuiſſe conſtat. Nam, vt exponit Tertullianus lib. 3. contra Marcionem, quemadmo-

dum vera Babylon fuerat Caput Imperij, & Regem habuerat Nabuchodonoſor, qui populum Dei perſequèbatur, & in captiuitatem adducebat; Ita quoque & Roma tempore Apoſtolorum erat Caput Imperij, & Imperatorem habebat Neronem, qui populum Dei crudeliſſimè perſequebatur. Nullam præterea Romæ maledictionem ſub nomine *Romæ* fuiſſe prænuntiatam legimus, ſed ſub alio quodam ſuppoſitio vocabulo, veluti *Boſræ* & *Babylonis*: Et licet hoc Ieremiæ
Pſal. 125. vaticinium, *vox in Rama audita eſt, ploratus & vlulatus multus*, de Roma intelligatur, non inde propterea arguenda eſt maledictio, ſed potius benedictio, cum ſcriptum ſit, *Qui ſeminant in lacrymis, in exultatione metent*: & Chriſtus ipſe dixit, *Beati qui lugent, quoniam ipſi conſolabuntur*: ita vt per Rachel intelligenda ſit Eccleſia Romana, plorans ſuos filios, plorans Martyres à perſecutoribus occiſos.

Non ſolum Ioannes Apoſtolus, ſed & ex Sibyllis vna, quam Erythræam aut Cumæam fuiſſe ferunt, de Romæ futura inclinatione futuroque excidio ex ipſo nomine vaticinata eſt, Eϛαι Ρώμη ῥύμη, Erit Roma vicus, erit Roma ruina, ſicut & de Deli Samique deletione.

Sibyll. Orac. lib 3.

Eϛαι καὶ Σάμος ἄμμος, ἐσεῖται δ' ἐ Δῆλος ἄδηλος,
Καὶ Ρώμη ῥύμη, id eſt;

Fiet

Fiet arena Samus, Delus deleta latebit,
Fiet Roma ruina.

Quasi eiusmodi vaticinio significare voluisset illa vates, Romam Ciuitatem, quæ omnes omnino totius Orbis Ciuitates amplitudine ac magnitudine superabat,

Et quæ tantum alias inter caput extulit Vrbes,
Quantum lenta solent inter Viburna Cupressi,

Vt dicit Maro, à Deo propter superbiam eò inclinationis inclinandam, eò humiliationis humiliandam fore, vt vicus, vt pagulus, vt parietinarum aceruus potiusquam Vrbs spectantibus videretur: Nec reuera falsum successit Oraculum. Veteris namque Romæ illius, quæ habebat Imperium super Reges terræ, & quæ dicebat, *Sedeo Regina, & vidua non sum, & luctum non videbo*, adeo paucæ supersunt reliquiæ, adeo pauca tantæ Ciuitatis apparent vestigia, vt de illa meritò possit dici, quod de Veiorum Vrbe dicit Florus; *Laborat annalium fides, vt Romam fuisse credamus.* Vnde Ianus Vitalis.

Apoc. 17
Apoc. 18

Vrbs cecidit, de qua si dignum dicere quidquam
Moliar, hoc potero dicere, Roma fuit.
Qui Romam in media quæris nouus aduena Româ,

Et Romæ in Roma nihil reperis mediâ ;
Aspice murorum moles, præruptaque saxa,
Obrutaque ingenti vasta theatra situ.
Hæc sunt Roma. Viden' velut ipsa cadauera tanta
Vrbis adhuc spirent imperiosa minas ?

Romanorum olim Cesarum, vt ita dicam, nasutum fuit Imperium, & adeo nasutum, vt ab Occidente in Orientem, & à Septentione in Meridiem naso potuerit attingere. Sed iam simum est, & adeo simum, vt à Rheno vsque Danubium vix peruenire queat. Et forsan Hispani, quibus erga Romam nec studium multum, nec reuerentia multa vnquam fuit, quasi Vrbi voluissent illudere, *Romo* & *Roma* dixere, quod Latini dicunt *Simus & Sima.*

Verum, quanam, quæso, potentia (humana dico seu terrestri) inclinata & deiecta est Romana potentia ? aut quibus viribus potuit cadere tanta imperij moles, quæ firmitate sua de perennitate cum sæculis ipsis videbatur posse contendere ? Propria, non aliena potentia deiecta est Roma potens : propriis, non alienis viribus cecidit Vrbs fortis. In fatis erat, vt à nullo nisi à seipsa vinceretur Ciuitas victrix. Ideo prosequitur Vitalis.

Vicit vt hæc mundum, nixa est se vincere : vicit,
A se non victum ne quid in Orbe foret.

Nunc Roma inuicta, Roma illa inuicta sepulta est,
Et victrix eadem victaque Roma fuit.
Albula Romani restat nunc nominis index,
Et rapidis atrum fertur in æquor aquis.
Disce hinc quid possit Fortuna: Immota labascunt,
Et quæ perpetuò sunt agitata manent.

Romam suis propriis corruisse viribus, conceptis verbis id Horatius affirmat

Suis & ipsa Roma viribus ruit. Epod. Od. 16.

Similemque tandem obtinuisse sortem ex ipsorum Parthorum voto.

Sed vt secundum vota Parthorum suâ
Vrbs hæc periret dexterâ. Epod. Od. 7.

Totum Orbem vicerat Roma, sed quia Orbis potiusquam Vrbs, ideo seipsam vicit, vt dicit Vitalis, ne quid foret in Orbe quod à se non esset victum. Sed Roma se vicit armis longè diuersis ab iis, quibus Orbem vicerat. Vicerat alios laborum grauitate, animi fortitudine, virtutis robore, gloriæ studio, ærariique œconomica administratione. Vicit seipsam segnitie, socordia, mollitie, lautitia, profusione, deliciis, libidine, omnibusque vitiis ac voluptatibus, quæ humanum superant ingenium, & quæ vix possunt

cogitatione fingi. Cecidit Romanum Imperium, cum Imperatores ex Augustis facti sunt Sardanapali. Cecidit Roma, cum desinit esse *Roma*, id est fortis & magnanima: Cum Martis Palladisque ludos in Veneris lustra, in Cupidinis prostibula, in Bacchi popinas commutauit. Periit tam gloriosæ Vrbis gloria, euanuit tam splendidæ Vrbis splendor, cum ex *Rom*, quod Cimbrorum linguâ *Velocem* ac *Celerem* significare diximus, facta est *Mor*, id est, lenta, tarda, languida, torpida ac veternosa. Nimium otium eneruauit illi vires, nimia mollities infirmauit illi robur, nimiæ deliciæ singulis eius membris induxerunt torpedinem, ita vt facta sit veluti paralytica. Quia à virtute amplius *Excelsa* fieri noluit, *ideo Humilem* fecit illam voluptas, sicut de illa prædixerat Hieronymus. Quia Roma proprij vocabuli oblita est, idcirco de Ρύμη facta est ῥύμη, de Vrbe vicus, de forti Ciuitate debilis pagus, de excelsa domina humilis ancilla, & quæ prius erat Mundi Caput & gloria, facta est duntaxat Orbis miserum membrum, gentiumque barbararum miserandum ludibrium.

Gorop. Herm. lib. 5.

Εσται Ῥώμη ῥύμη, inquit Sibylla. Magna profecto affinitas inter hæc duo vocabula Ῥώμη & Ῥύμη: Videamus igitur in quo discrepent. Vna tantum differunt vocali. Primum, quod est magnitudinis ac fortitudinis nomen, scribitur per ω, Ῥώμη: alterum, quod exiguita-

tis & debilitatis est vocabulum, scribitur per Υ, Ρύειν, quid autem ω? & quid Υ? Ω, vt sicunt Græcæ linguæ periti, est aduerbium vocantis & hortantis; imo vnum ex vocabulis ipsius Saluatoris, qui est ω, sicut & α, *Ego sum Alpha & Omega.* Υ (pace Pythagoræ dixerim) est vox Coquinaria, vox Cauponaria, vox Cupedinaria, facta ad exprimendum sonum, quem edere solet qui carnes olfacit, vt ille helluo apud Aristophanem, suillas olfaciens carnes; ὖ, ὖ, ὖ, ὖ, &c. Qui est α & ω, per Apostolos, per Discipulos, per præcones Verbi sui Romæ curauit Euangelium prædicari, vocauit ad electionem, inuitauit ad nuptias Agni, hortatus est ad pœnitentiam: Sed nec prædicationem, nec vocationem, nec inuitationem, nec hortationem audire voluit: quinimo occidit prædicantes, interfecit vocantes, interemit inuitantes, mactauit hortantes: Nec contenta hoc, euangelizantium, prædicantium, vocantium, inuitantium, & hortantium vocibus obedientes etiam trucidauit. Nares habuit, & admodum patulas, nec tamen voluit aliud quam Mundi cupedia & carnis illecebras tunc temporis olfacere. Angelorum delicias, cæleste illud manna, spiritualem illum panem, exquisitam illam escam, sanctissimam illam carnem, suauissimum illud vinum, quibus Christus, vocans & inuitans, volebat saturare ac inebriare eius Ciues, nec odorari, nec degustare curauit: quinimo si-

deles, tam delicatum cibum odorantes, tamque suauem degustantes potum, inhumanis, crudelibus, horrendis cruentisque persecutionibus per totum Orbem plurimis sæculis diuexauit, comprehendit, in carceres detrusit, flagris excepit; tortoribus cruciandos, dilaniandos, vltimoque supplicio afficiendos commisit. Et quia in ea sanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus est, & omnium qui intefecti sunt in terra: quia inebriauit se sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu: Quia occidit Prophetas, & lapidauit eos qui ad eam missi sunt, Ecce relictæ sunt ei domus desertæ; ideo facta est de Ῥώμη ῥύμη, ideo cecidit, & in nihilum redacta est Babylon, Ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.

Apoc.18. Apoc.17. Mat.23. Luc.13. Apoc.18

Verum itaque Sibylla edidit Oraculum, cum dixit, Ἔσται Ῥώμη ῥύμη: illud comprobauit tempvs, illud confirmauit experientia, eiusque complementum non sine luctu præterita vidêre sæcula. Roma facta est Vicus, facta est ruina, facta est luctuosus ac deflendus parietinarum aceruus. Et quis credidisset, inquit Hieronymus, vt totius Orbis extructa victoriis Roma corruisset? vt ipsa suis populis & mater facta esset & sepulchrum?

Cecidit Roma, fateor, sed cecidit, vt postea resurgeret gloriosior. Destructa est, sed destructa, vt reædificaretur pulchrior. Combusta est, sed combusta, vt ex propriis cineribus renasceretur illustrior. Scriptum est

enim; *Incenderunt electam sanctitatis Ciuitatem, & desertas fecerunt vias ipsius in manu Ieremiæ: nam malè tractauerunt illum, qui a ventre matris consecratus est Propheta; euertere, eruere & perdere, & iterum ædificare & renouare.* Et ipsamet Sibylla, quæ Romæ veluti mortem prædixerat, prædixit etiam & eius resurrectionem. Eccli.49.

Et penas repetens ad terram sternet ab alto, Sibyll.
Rursus & à terra sublimem tollet in altum. Orac. lib. 3.

Resurrexit Roma quæ tot annis in sepulchro iacuerat. Denuò ædificata est Vrbs quæ quasi sale consperſa, & in perpetuum putabatur extincta. Renata est Ciuitas, quæ in nihili vterum credebatur reuersa. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Renouata est Roma, renouati Ciues, renouata Templa, renouatus Senatus, renouatum Imperium, renouatus Imperator, renouata Sedes, renouatum ipsummet Flumen, quod eius muros alluit. 2.Cor.5

Renouata Roma in Christo, & per Christum; & quæ priùs fuit Babylon meretrix, Ciuitas Belzebuh, Ciuitas mendacij Ciuitas abhominationis & habitationis Demoniorum, facta est Ciuitas sancta, Ciuitas Dei, Ciuitas veritatis, Ciuitas sanctificationis, & Sanctorum domicilium: quippe blasphemiam, quam in fronte habebat scriptam, Christi confessione deleuit. Renouati Ciues,

Renouatus fluuius, renouatus Tiberis, & eius aqua antea non potabilis, potabilis facta est, eaque tantò purior quantò diutius in cisterna seruatur, etiam ad annos reposita.

Sed à quo quæso factæ sunt tantæ renouationes? A Petro Petrus renouauit Romam per Euangelium: renouauit eius Ciues per prædicationem & baptismum, proprioque sanguine Christo Domino consecrauit Vrbem, quæ erat habitatio Demoniorum, & custodia omnis Spiritus immundi; quæ cum omnibus dominaretur gentibus, etiam & gentium omnium seruiebat erroribus. Petrus renouauit Templa per benedictionem. Petrus renouauit Senatum suo martyrio; & sicut antiqui Senatus Senatores gentium purpura decorabantur; ita & noui Senatus Principes Petri aliorumque Martyrum cruore iam incedunt purpurati. Petrus renouauit Imperium, & dilectus à Domino suo Propheta Domini vnxit Principes in gente sua. Imperium terrestre in Cæleste commutauit, qui à Domino regni Cælorum accepit claues, & cui à Christo Cæli terræque supremo Domino in Cælis sicut in terra data est ligandi & soluendi suprema potestas. Petrus renouauit sedem, propriamque ex Christi beneficio sibi & Pontificibus successoribus constituit Cathedram, quæ Neronis erat solium: hacque renouatione effecit, vt non ampliùs homines, vt non ampliùs Cesares nec Augusti, sed Deus solus Romæ dominaretur: Vt

S.Leo. serm.1. de Nat. Apost.

Eccli.46.

Episcopus Romanus, Summus à Deo Pontifex institutus, tanquam supremus Christi Vicarius, legitimusque successor Petri regni Cælorum Clauigeri, nomine ac voce Dei per vniuersas Orbis plagas veram Theocratiam solus administraret. Petrus renouauit Romanum flumen, renouauit Tiberim, de eo fecit Iordanem in quo baptizaret, & jumentorum aquaria piscinam fecit probaticam, aquas damnationis salutis effecit aquas, & fluuius qui Ciuitatis Belzebuh alluebat mœnia, Ciuitatis Dei iam muros alluit.

Verum quia Petrus in Apostolatu Coadiutorem habuit Paulum, ideo & Paulo Romanæ renouationis tribuenda portio: Romæ enim euangelizauit, prædicauit, docuit, passus est sicut & Petrus ipse. Nec dubitarunt Ecclesiæ Patres Paulum æquè ac Petrum Romæ Patrem Pastoremque vocare. De hoc illustris Decretalium locus. *Petrus & Paulus illi sunt, per quos Euangelium Roma resplenduit. Isti sunt eius Patres. Isti sunt, quos electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales. Isti sunt qui vna die pro merito, vno loco pro gloria, sub vno persecutore pro parili virtute compassi Vrbem ipsam glorioso cruore Martyrij Christo Domino consecrarunt. Isti sunt qui illam in hanc gloriam prouexerunt, vt sit gens sancta, populus electus, Ciuitas Sacerdotalis & regia, per sacram Beati Petri sedem Caput totius Orbis effecta.* Christus ipse voluit vt huius renouationis partem haberet

Paulus: ideo dixit illi; *Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Romæ testificari*: Nec dubitauit ipse Paulus quin tantæ prærogatiuæ portio illi esset concedenda, cum dixit, *Et postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.* Act.19.
Et sicut à Remo & Romulo Roma fuerat condita, ita & à Petro Pauloque fuit renouata. Cum natus est Chistus, imago Lupæ cum Remo & Romulo consecrata in Capitolio, veluti de Cælo tacta cecidit; vt scilicet Lupa, vera Ethnicismi figura, cederet Ecclesiæ nasciturae; vtque Remus ac Romulus, Romanæ Vrbis conditores, Petro & Paulo, Romanæ Ecclesiæ fundatoribus, darent locum. Dio. Ro. Hist. l.37

In indignatione sua Romam percusserat Dominus, & in reconciliatione sua misertus est eius. Exuit illam stolâ luctus & vexationis, & honore decoreque induit illam. Circumdedit illam diploide iustitiæ, & imposuit mitram Capiti honoris æterni. Venerunt ad eam curui filij eorum, qui humiliauerunt illam, & adorauerunt vestigia pedum eius omnes qui detrahebant illi, & vocauerunt illam Ciuitatem Domini. Pro eo quod fuit derelicta & odio habita, & non erat qui per eam transiret, posuit eam Dominus in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem, & suget lac gentium, & mamilla Regum lactabitur. Ablatum est Romæ terrarum Imperium, Isa.60. Baruc.5.

ablatum illi mundi regnum, ablata in corpora dominatio, neceſſarioque auferenda fuit: imò iis omnibus debuit ipſamet renunciare eo ipſo momento, quo facta eſt Chriſti Eccleſia, & Chriſtiani regni Metropolis; quoniam regnum Chriſti non eſt de hoc mundo, nec vllus in animas poteſtatem habet præter Chriſtum, & Pontificem Romanum, ſupremum eius Vicarium, aut quos ſupremus ille Vicarius tantæ poteſtatis vult fieri participes. Negotiatio eſt, inquit Tertullianus, aliquid amittere, vt maiora lucremur. Terrena amiſit Roma, Leuitarum portione contenta, vt cæleſtia lucraretur. Sed quantò terra excelſius Cælum, quantò corpore nobilior anima, veteri Romæ imperio nouum tantò ſublimius ac dignius cenſendum eſt; æquiorique iure Caput Orbis habenda Roma, vt quæ religione obtinuit, quod priús armis erat conſecuta, iuxta iſtud Proſperi.

Lib. de Ingratis.

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta Caput mundi, quicquid non poſſidet armis
Religione tenet:

Quam quidem ſupremam prærogatiuam Beatorum Aqoſtolorum beneficio ac meritis obtinuit, vt his verſibus annuit Paulinus.

Nam prius imperio tantum & victricibus armis,
Nunc & Apostolicis terrarum es prima sepulcris. Natal.3. S.Felicis

Vnde Beatus Leo Romam ita compellat. *Petrus & Paulus sunt patres tui, verique pastores, qui te regnis cælestibus inserendam multò meliùs multoque feliciùs condiderunt, quam illi quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata, ex quibus qui tibi nomen dedit, fraterna cæde te fœdauit. Isti sunt qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, Ciuitas Sacerdotalis & regia, per sacram Beati Petri sedem Caput Orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina quam dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis ius Imperij tui terra marique protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit.* Obtigit Romæ Iobi fortunata Sors: nouissimis eius benedixit Dominus magis quam principio. Per peccatum, per falsam religionem Roma de Ῥώμη facta fuerat Ῥύμη, de forti Ciuitate debilis vicus, de vrbe amplissima deploranda parietinarum congeries: per gratiam, per veram religionem de Ῥύμη, de vico debili, facta est iterum Ῥώμη, Ciuitas fortis; imò Ῥώμη, Ῥώμη, Ῥώμη; Fortis, Fortis, Fortis; & vbique fortis; fortis in cælis, fortis in terra, fortis in inferis. Quippe fortitudine sua in Cælo & De Natal. Petri & Pauli.

in Terra quodcunque vult ligare & ſoluere poteſt eius Summus Pontifex, eademque fortitudine à Purgatorio animas liberare. Qui autem dicit *Ter fortem* dicit *fortiſſimam* in gradu ſuperlatiuo. Roma vetus, Roma à Remo & Remulo condita fortis; Roma noua, Roma à Petro & Paulo renouata fortiſſima, ſupraque omnem fortitudinem fortis, quia eſt Turris gregis, quia eſt Cathedra Petri, quia eſt Arx Eccleſiæ Chriſti; imo Eccleſia ipſa, quam nec Mundi nec Diaboli fortiſſimæ poteſtates vnquam poterunt concutere: quippe Eccleſia eſt Romana, eſt fortiſſima; & Romana eſt atque fortiſſima, quia ſuper petram firmam & inconcuſſam eſt fundata.



QVÆ DE ROMA IN Roma *Anagrammatiſmi ratione lateant Myſteria.*

CAPVT XIV.

CONVERTE *elementa & quid quæris inuenies*, inquit Arabs Rhaſiez, idque rectè dictum. Quippe verum *ac* compertum eſt conuerſione elementorum, quibus nomina conſtant, multa & recondita de nominatis arcana poſſe retegi, quæ non ex ſolo hominum inſtituto, ſed & ex Dei ipſius decreto nomina ſignificare ſatis indicant. Si Hebræorum primum Dei nomen, quod eſt *Al*, ordine legatur inuerſo, orietur *la*, quæ eſt particula negatiua *Non*; imò *Nihil*: Hocque nos docet, Deum reſpectu noſtri negationem potius eſſe quam affirmationem, meliùs ſciri Deum neſciendo quam ſciendo, ſanctiùs ac reuerentiùs de actis Deum credere quam ſcire, enſque tam immenſum negatione rectiùs quam affirmatione definiri. Si cum diuino Platone dico, *quid Deus ſit non noui, quid non ſit noui*; Si cum Diuo Auguſtino, *Deus non eſt Cælum, non eſt Terra, non eſt Angelus,*

AL. LA.

Auguſt. Tacitus.

non est Homo, non est Sol, non est Luna, aut aliud quodcunque in mundo tum elementari, tum Cælesti, tum intelligibili mens potest cogitare, verum dico, nec diuinæ essentiæ iniuriosæ sunt eiusmodi definitiones. Et si Deo aliquid comparare liceat, quid rectiùs, quæso, ei possum comparare quam *Nihil*? Deus enim est infinitus, & post Deum nihil potest excogitari quod sit infinitum quam nihil ipsum: Nam vt docent Philosophi, *Deus est Nihil infinita duo*. Deus cum creauit Mundum, & in eo creando nulla prorsus vsus est materia: ex nihilo creauit illlum, imo debuit creare. Opifici namque infinito materia infinita opus est, & si Deus in suis productionibus aliqua materia opus haberet, non esset Deus, quia non esset Omnipotens; & necessariò oportuisset, vt quis alius potentior illo illam primam præparasset materiam ex nihilo, cum ante Mundi creationem nulla planè dicatur fuisse materia.

Hai. Iag. *Hai* significat vitam, & *Iah*, quod huius vocabuli est anagramma, est etiam vnum ex nominibus Dei apud Hebræos, & quo Deum solent nominare, cum eius cantandæ sunt misericordiæ, inuitandique populi, vt Dominum tam misericordem die ac nocte recordentur laudare; *Alleluiah*, Laudate Dominum: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia eius.* Egregia sanè conuersio, excelsa proculdubio Metathesis

tathesis, misteriumque supra modum mirabile; In *Hai* inuenimus *Iah*, in *Iah* inuenimus *Hai*; in vita inuenimus Deum, & in Deo inuenimus vitam. In Deo solo reperitur vita, absque Deo nulla datur vita, quia Deus est ipsamet vita, sicut & via & veritas: vi- Ioan.14.
ta, quæ dat vitam Mundo; vita quæ est Deus Ioan.8.
ipse, in quo viuimus, mouemur & sumus. Act.17.

Græcum Saluatoris nomen, quod est Ἰησοῦς, Metathesis ratione hunc reddit sensum Σὺ ὡς ὄις, id est, *Tu tanquam Ouis*, quod est ipsius
Isaiæ de Christo vaticinium; *Sicut Ouis ad* Isai.53.
occisionem ducetur, & quasi agnus coram tundente obmutescet, & non aperiet os suum. Latinum, quod est *Iesus*, eadem seruata conuersione facit *Ius es*; & rectè quidem. Verè
enim Ius est, qui est finis legis ad iustitiam om- Rom.10.
ni credenti verè ius est, qui est iustitia ipsa, & 1. Cor.1.
qui factus est nobis Sapientia à Deo & Iustitia. Verè Ius est, per cuius fidem iustitia Dei in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Act.10.
Verè Ius est, qui viuorum & mortuorum constitutus est Iudex, & qui in die iudicij vnicuique ius suum redditurus est.

Cum dixisset Christus Pilato, *Omnis qui est de veritate audit vocem meam*, statim Pilatus quæsiuit ab illo, *Quid est veritas?* Christus autem obmutuit, nec interrogationi voluit respondere, quoniam in interrogatione continebatur responsum, *Est vir qui adest.*

Si harum duarum vocum, *Sacramentum Eucharistia*, transponamus elementa, inue-

M

deles, tam delicatum cibum odorantes, tamque suauem degustantes potum, inhumanis, crudelibus, horrendis cruentisque persecutionibus per totum Orbem plurimis sæculis diuexauit, comprehendit, in carceres detrusit, flagris excepit; tortoribus cruciandos, dilaniandos, vltimoque supplicio afficiendos commisit. Et quia in ea sanguis Prophetarum & Sanctorum inuentus est, & omnium qui intefecti sunt in terra: quia inebriauit se sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum Iesu: Quia occidit Prophetas, & lapidauit eos qui ad eam missi sunt, Ecce relictæ sunt ei domus desertæ; ideo facta est de Ῥώμη ῥύμη, ideo cecidit, & in nihilum redacta est Babylon, Ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur.

Apoc. 18. Apoc. 17. Mat. 23. Luc. 13. Apoc. 18

Verum itaque Sibylla edidit Oraculum, cum dixit, Ἔσται Ῥώμη ῥύμη: illud comprobauit tempvs, illud confirmauit experientia, eiusque complementum non sine luctu præterita vidêre sæcula. Roma facta est Vicus, facta est ruina, facta est luctuosus ac deflendus parietinarum aceruus. Et quis credidisset, inquit Hieronymus, vt totius Orbis extructa victoriis Roma corruisset? vt ipsa suis populis & mater facta esset & sepulchrum?

Cecidit Roma, fateor, sed cecidit, vt postea resurgeret gloriosior. Destructa est, sed destructa, vt reædificaretur pulchrior. Combusta est, sed combusta, vt ex propriis cineribus renasceretur illustrior. Scriptum est

enim; *Incenderunt electam sanctitatis Ciuitatem, & desertas fecerunt vias ipsius in manu Ieremiæ: nam malè tractauerunt illum, qui a ventre matris consecratus est Propheta; euertere, eruere & perdere, & iterum ædificare & renouare.* Et ipsamet Sibylla, quæ Romæ veluti mortem prædixerat, prædixit etiam & eius resurrectionem. Eccli.49.

Et penas repetens ad terram sternet ab alto, Sibyll.
Rursus & à terra sublimem tollet in altum. Orac. lib. 3.

Resurrexit Roma quæ tot annis in sepulchro iacuerat. Denuò ædificata est Vrbs quæ quasi sale conspersa, & in perpetuum putabatur extincta. Renata est Ciuitas, quæ in nihili vterum credebatur reuersa. Vetera transierunt, ecce facta sunt omnia noua. Renouata est Roma, renouati Ciues, renouata Templa, renouatus Senatus, renouatum Imperium, renouatus Imperator, renouata Sedes, renouatum ipsummet Flumen, quod eius muros alluit. 2.Cor.5

Renouata Roma in Christo, & per Christum; & quæ priùs fuit Babylon meretrix, Ciuitas Belzebuh, Ciuitas mendacij Ciuitas abhominationis & habitationis Demoniorum, facta est Ciuitas sancta, Ciuitas Dei, Ciuitas veritatis, Ciuitas sanctificationis, & Sanctorum domicilium: quippe blasphemiam, quam in fronte habebat scriptam, Christi confessione deleuit. Renouati Ciues,

Renouatus fluuius, renouatus Tiberis, & eius aqua antea non potabilis, potabilis facta est, eaque tantò purior quantò diutius in cisterna seruatur, etiam ad annos reposita.

Sed à quo quæso factæ sunt tantæ renouationes? A Petro Petrus renouauit Romam per Euangelium: renouauit eius Ciues per prædicationem & baptismum, proprioque sanguine Christo Domino consecrauit Vrbem, quæ erat habitatio Demoniorum, & custodia omnis Spiritus immundi; quæ cum omnibus dominaretur gentibus, etiam & gentium omnium seruiebat erroribus. Petrus renouauit Templa per benedictionem. Petrus renouauit Senatum suo martyrio; & sicut antiqui Senatus Senatores gentium purpura decorabantur; ita & noui Senatus Principes Petri aliorumque Martyrum cruore iam incedunt purpurati. Petrus renouauit Imperium, & dilectus à Domino suo Propheta Domini vnxit Principes in gente sua. Imperium terrestre in Cæleste commutauit, qui à Domino regni Cælorum accepit claues, & cui à Christo Cæli terræque supremo Domino in Cælis sicut in terra data est ligandi & soluendi suprema potestas. Petrus renouauit sedem, propriamque ex Christi beneficio sibi & Pontificibus successoribus constituit Cathedram, quæ Neronis erat solium: hacque renouatione effecit, vt non ampliùs homines, vt non ampliùs Cesares nec Augusti, sed Deus solus Romæ dominaretur: Vt

S.Leo. serm.1. de Nat. Apost.

Eccli.46.

Episcopus Romanus, Summus à Deo Pontifex institutus, tanquam supremus Christi Vicarius, legitimusque successor Petri regni Cælorum Clauigeri, nomine ac voce Dei per vniuersas Orbis plagas veram Theocratiam solus administraret. Petrus renouauit Romanum flumen, renouauit Tiberim, de eo fecit Iordanem in quo baptizaret, & jumentorum aquaria piscinam fecit probaticam, aquas damnationis salutis effecit aquas, & fluuius qui Ciuitatis Belzebuh alluebat mœnia, Ciuitatis Dei iam muros alluit.

Verum quia Petrus in Apostolatu Coadiutorem habuit Paulum, ideo & Paulo Romanæ renouationis tribuenda portio: Romæ enim euangelizauit, prædicauit, docuit, passus est sicut & Petrus ipse. Nec dubitarunt Ecclesiæ Patres Paulum æquè ac Petrum Romæ Patrem Pastoremque vocare. De hoc illustris Decretalium locus. *Petrus & Paulus illi sunt, per quos Euangelium Roma resplenduit. Isti sunt eius Patres. Isti sunt, quos electio pares, & labor similes, & finis fecit æquales. Isti sunt qui vna die pro merito, vno loco pro gloria, sub vno persecutore pro parili virtute compassi Vrbem ipsam glorioso cruore Martyrij Christo Domino consecrarunt. Isti sunt qui illam in hanc gloriam prouexerunt, vt sit gens sancta, populus electus, Ciuitas Sacerdotalis & regia, per sacram Beati Petri sedem Caput totius Orbis effecta.* Christus ipse voluit vt huius renouationis partem haberet

Paulus: ideo dixit illi; *Constans esto, sicut enim testificatus es de me in Ierusalem, sic te oportet & Roma testificari*: Nec dubitauit ipse Paulus quin tantæ prærogatiuæ portio illi esset concedenda, cum dixit, *Et postquam fuero ibi, oportet me & Romam videre.* Act.19.
Et sicut à Remo & Romulo Roma fuerat condita, ita & à Petro Pauloque fuit renouata. Cum natus est Chistus, imago Lupæ cum Remo & Romulo consecrata in Capitolio, veluti de Cælo tacta cecidit; vt scilicet Lupa, vera Ethnicismi figura, cederet Ecclesiæ nasciturae; vtque Remus ac Romulus, Romanæ Vrbis conditores, Petro & Paulo, Romanæ Ecclesiæ fundatoribus, darent locum. Dio. Ro. Hist. l.37

In indignatione sua Romam percusserat Dominus, & in reconciliatione sua misertus est eius. Exuit illam stolâ luctus & vexationis, & honore decoreque induit illam. Circumdedit illam diploide iustitiæ, & imposuit mitram Capiti honoris æterni. Venerunt ad eam curui filij eorum, qui humiliauerunt illam, & adorauerunt vestigia pedum eius omnes qui detrahebant illi, & vocauerunt illam Ciuitatem Domini. Pro eo quod fuit derelicta & odio habita, & non erat qui per eam transiret, posuit eam Dominus in superbiam sæculorum, gaudium in generationem & generationem, & suget lac gentium, & mamilla Regum lactabitur. Ablatum est Romæ terrarum Imperium, Isa.60. Baruc.5.

Nam prius imperio tantum & victricibus armis, Natal. 3. S. Felicis
Nunc & Apostolicis terrarum es prima sepulcris.

Vnde Beatus Leo Romam ita compellat. *Petrus & Paulus sunt patres tui, verique pastores, qui te regnis cælestibus inserendam multò meliùs multoque felicius condiderunt, quam illi quorum studio prima mœnium tuorum fundamenta locata, ex quibus qui tibi nomen dedit, fraterna cæde te fœdauit. Isti sunt qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, Ciuitas Sacerdotalis & regia, per sacram Beati Petri sedem Caput Orbis effecta, latiùs præsideres religione diuina quam dominatione terrena. Quamuis enim multis aucta victoriis ius Imperij tui terra marique protuleris, minus tamen est quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax Christiana subiecit.* Obtigit Romæ Iobi fortunata Sors: nouissimis eius benedixit Dominus magis quam principio. Per peccatum, per falsam religionem Roma de Ῥώμη facta fuerat Ῥύμη, de forti Ciuitate debilis vicus, de vrbe amplissima deploranda parietinarum congeries: per gratiam, per veram religionem de Ῥύμη, de vico debili, facta est iterum Ῥώμη, Ciuitas fortis; imò Ῥώμη, Ῥώμη, Ῥώμη; Fortis, Fortis, Fortis; & vbique fortis; fortis in cælis, fortis in terra, fortis in inferis. Quippe fortitudine sua in Cælo & De Natal. Petri & Pauli.

in Terra quodcunque vult ligare & ſoluere poteſt eius Summus Pontifex, eademque fortitudine à Purgatorio animas liberare. Qui autem dicit *Ter fortem* dicit *fortiſſimam* in gradu ſuperlatiuo. Roma vetus, Roma à Remo & Remulo condita fortis; Roma noua, Roma à Petro & Paulo renouata fortiſſima, ſupraque omnem fortitudinem fortis, quia eſt Turris gregis, quia eſt Cathedra Petri, quia eſt Arx Eccleſiæ Chriſti; imo Eccleſia ipſa, quam nec Mundi nec Diaboli fortiſſimæ poteſtates vnquam poterunt concutere: quippe Eccleſia eſt Romana, eſt fortiſſima; & Romana eſt atque fortiſſima, quia ſuper petram firmam & inconcuſſam eſt fundata.



QVÆ DE ROMA IN Roma *Anagrammatiſmi ratione lateant Myſteria.*

CAPVT XIV.

CONVERTE elementa & quid quæris inuenies, inquit Arabs Rhaſiez, idque rectè dictum. Quippe verum *ac* compertum eſt conuerſione elementorum, quibus nomina conſtant, multa & recondita de nominatis arcana poſſe retegi, quæ non ex ſolo hominum inſtituto, ſed & ex Dei ipſius decreto nomina ſignificare ſatis indicant. Si Hebræorum primum Dei nomen, quod eſt *Al*, ordine legatur inuerſo, orietur *la*, quæ eſt particula negatiua *Non*; imò *Nihil*: Hocque nos docet, Deum reſpectu noſtri negationem potius eſſe quam affirmationem, meliùs ſciri Deum neſciendo quam ſciendo, ſanctiùs ac reuerentiùs de actis Deum credere quam ſcire, enſque tam immenſum negatione rectiùs quam affirmatione definiri. Si cum diuino Platone dico, *quid Deus ſit non noui, quid non ſit noui*; Si cum Diuo Auguſtino, *Deus non eſt Cælum, non eſt Terra, non eſt Angelus,*

A L.
L A.

Auguſt.
Tacitus.

non est Homo, non est Sol, non est Luna, aut aliud quodcunque in mundo tum elementari, tum Cælesti, tum intelligibili mens potest co-gitare, verum dico, nec diuinæ essentiæ iniuriosæ sunt eiusmodi definitiones. Et si Deo aliquid comparare liceat, quid rectiùs, quæso, ei possum comparare quam *Nihil*? Deus enim est infinitus, & post Deum nihil potest excogitari quod sit infinitum quam nihil ipsum: Nam vt docent Philosophi, *Deus est Nihil infinita duo.* Deus cum creauit Mundum, & in eo creando nulla prorsus vsus est materia: ex nihilo creauit illlum, imo debuit creare. Opifici namque infinito materia infinita opus est, & si Deus in suis productionibus aliqua materia opus haberet, non esset Deus, quia non esset Omnipotens; & necessariò oportuisset, vt quis alius potentior illo illam primam præparasset materiam ex nihilo, cum ante Mundi creationem nulla planè dicatur fuisse materia.

Hai. Iag. *Hai* significat vitam, & *Iah*, quod huius vocabuli est anagramma, est etiam vnum ex nominibus Dei apud Hebræos, & quo Deum solent nominare, cum eius cantandæ sunt misericordiæ, inuitandique populi, vt Dominum tam misericordem die ac nocte recordentur laudare; *Alleluiah*, Laudate Dominum: *Laudate Dominum omnes gentes, laudate eum omnes populi, quoniam confirmata est super nos misericordia eius.* Egregia sanè conuersio, excelsa proculdubio Metathesis

tathesis, misteriumque supra modum mirabile; In *Hai* inuenimus *Iah*, in *Iah* inuenimus *Hai*; in vita inuenimus Deum, & in Deo inuenimus vitam. In Deo solo reperitur vita, absque Deo nulla datur vita, quia Deus est ipsamet vita, sicut & via & veritas: vita, quæ dat vitam Mundo; vita quæ est Deus ipse, in quo viuimus, mouemur & sumus. Ioan. 14. Ioan. 8. Act. 17.

Græcum Saluatoris nomen, quod est Ιησους, Metathesis ratione hunc reddit sensum Σὺ ὡς ὄϊς, id est, *Tu tanquam Ouis*, quod est ipsius Isaiæ de Christo vaticinium; *Sicut Ouis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tundente obmutescet, & non aperiet os suum.* Isai. 53. Latinum, quod est *Iesus*, eadem seruata conuersione facit *Ius es*; & rectè quidem. Verè enim Ius est, qui est finis legis ad iustitiam omni credenti verè ius est, qui est iustitia ipsa, & qui factus est nobis Sapientia à Deo & Iustitia. Rom. 10. 1. Cor. 1. Verè Ius est, per cuius fidem iustitia Dei in omnes & super omnes, qui credunt in eum. Verè Ius est, qui viuorum & mortuorum constitutus est Iudex, & qui in die iudicij vnicuique ius suum redditurus est. Act. 10.

Cum dixisset Christus Pilato, *Omnis qui est de veritate audit vocem meam*, statim Pilatus quæsiuit ab illo, *Quid est veritas?* Christus autem obmutuit, nec interrogationi voluit respondere, quoniam in interrogatione continebatur responsum, *Est vir qui adest.*

Si harum duarum vocum, *Sacramentum Eucharistiæ*, transponamus elementa, inue-

niemus quid & quale ſit tantum & tam auguſtum Sacramentum, *Chara Ceres in Ieſum mutata.* Hæc duo nomina, *Maria Virgo*, anagrammatiſmo reddunt *Mira Virago*; indeque diſcimus Mariam Virginem re ipſa eſſe Miram Viraginem. *Mira* profectò *Virago*, quæ ſola inter vniuerſos Adami poſteros ab originali peccato immunis conci-pi meruit. *Mira Virago*, quæ virum egit abſque opera viri, quæ concepit, quæ peperit Virgo, & poſt partum ſicut & ante partum inuiolata Virgo permanſit. *Mira Virago*, quæ ſola inter vniuerſas Matres hanc obtinuit prærogatiuam, vt eſſet Mater filij, qui erat eius pater & conditor. *Mira Virago*, quæ geſtauit in vtero qui totum Mundum continet pugillo, & quæ ventris ſub arca clauſit quem Cęli ipſi nō poſſunt capere.

In *Maria Magdalena* pari ratione ipſius Magdalenæ legimus confeſſionem & conuerſionem, *Grandia mala mea.* In *Catherina de Medicis*, quod illa Hetruriæ Ducis illuſtriſſima filia vnius è noſtris Henricis caſta Dea eſſet futura, *Henrici mei caſta Dea*: In *Cornelius Ianſenius*, quod eius Doctoris doctrina aliquo modo redoleat Caluiniſmum, ſitque veluti Caluinus alter, *Eſt Ioannes Caluinus*: In *Henri de Nemours*, quod ille Princeps, tanquam Rhemenſis Archiepiſcopus, illius Vrbis maximus honos eſſet futurus, *Honneur de Reims*: In *Marie de Vignerot*, quod illa Heroina, licet matrimo-

nio iuncta, à marito remansura foret intacta, *Vierge de ton mari*: In *André Puion*, quod eo dictus nomine Rioni aliquando patibulo esset suspendendus, *Pendu a Rion*, vt re quidem ipsa fuit; quod obseruauit Caussinus in Aula Sancta.

In *Virgo* reperimus *Vigor*, vt inde constet verum & vegetum vigorem in virginitate & Venerei actus abstinentia esse repositum. In *Corpus* legimus *Porcus*; quod significat Corpus, licet humanum, esse naturæ porcinæ; & sicut porcum in luto voluptatum, in cœno deliciarum se volutare, nisi cohibeatur à Spiritu, qui idcirco à Deo eius constitutus est Dominus. In Græco Ἀρετὴ, id est Virtus, continetur Ἐρατὴ, id est amabilis, vt sciant homines Virtutem ex se ipsa amabilem & amandam esse, vt quæ omnium rerum amabilissima est, & quâ nihil amabilius potest excogitari. In Italico *Donna*, id est *Mulier*, inuenimus *Danno*, quod significat & *Damnum* nomen, & *Damno* verbum, atque *Dant*, quæ est tertia pluralis à Verbo *Do*: Vt inde appareat mulierem nostrorum damnorum esse fontem & originem; imo caussam ipsam, cur sæpius damnetur homo; & quod si aliquid illi dat, solum dat illi damnum.

Rupellani, cum murorum fortitudine Ciuiumque aduersis conatibus iam tot regum obsidiones irritas effecissent, inde Ciuitatem suam quasi iudicantes inexpugnabilẽ, Deum-

que esse eius brachium & protectorem, hoc dictum portis curauerunt incidi, *Vrbs sub oculo diuino*; eoque, licet insciientes, tantæ arcis euersionem vaticinati sunt: quippe sub elementis ipsius dicti latebat *Ludouicus Borbonius*, nomen scilicet illius Regis, qui illam inexpugnabilem ex Cæli decreto erat expugnaturus. Sed hæc pauca, quæ de Anagrammatismo protulimus, ad corroborandam eius sufficiant potestatem. Videamus iam quid notitiæ de Roma in *Roma* hac inuestigandi ratione poterimus inuenire.

Primum, quod Nominis *Roma* mihi occurrit Anagramma, est *Maro*; nomen illius vatis celeberrimi, qui dictionis cultu, qui eruditionis sublimitate, qui excelsa scribendi ratione Latinæ Poeseos principatum obtinere meruit. Sed quare *MARO* in *ROMA*? A superis hoc ita dispositum, hoc ita factum, vt Roma proprium intuens vocabulum, in eo veluti in speculo perspiceret nomen illius, qui eius encomiastes, qui eius genealogus, qui eius vates, qui eius Orphæus, qui eius Apollo esset futurus. Maro ex officio, & quasi ex proprij nominis præcepto, Romam & Romanæ gentis conditorem celebrare, Ciuitatem & Ciues laudibus & encomiis decorare debuit, quia tantæ prouinciæ munus ante illum nemo ausus erat suscipere. Vrbs excelsa scriptorem poscebat excelsum, gens sublimis vatem petebat sublimem, conditor insignis enco-

miasten postulabat insignem. Quis autem Marone scriptor excelsior? Quis poëta sublimior? Et quod vnquam sæculum vatem nouit insigniorem? Nec solum fuit eminens, sed & eminentium eminentissimus; *Excelsus, eminentissimus vates, poëta præclarus*, ait Marcellinus: *Pater & Princeps Carminum*, iuxta Velleium; *Et Latinorum Poëtarum primus*, secundum Lactantium. Eius denique gloria tam excelsa est, inquit Macrobius, *Vt nullius laudibus crescat, nullius vituperatione minuatur.* Verum sicut ex vngue leo, & ex fructu arbore, ita & ex opere cognoscitur opifex. Prætermissis aliis Maronis scriptis, videamus tantummodo quid de sola eius Æneide sentiant auctores. Si credimus Nasoni, *Nullum Latio clarius extat opus*: Si Statio, arduum quid fecisse arbitrabimur, qui tanti operis elegantiam quodammodo duntaxat potuit imitari;

Lib.15. & 19.

Lib.1.

Sat.c.24.

Nec tu diuinam Æneida tenta,
Sed longè sequere, & vestigia semper adora.

Magna est Homeri Ilias, fateor & fatentur omnes, & adeo magna, vt maximus inter magnos, qui fuit Alexander Macedo, in Darij capsula, quæ tanti Regis præcipuum æstimabatur spolium, illam recludi voluerit. Sed Iliade maior est Æneis; ideoque iure ac meritò de illa dixit Poëta.

Cedite Romani scriptores, cedite Gray,
Nescio quid maius nascitur Iliade.

Secundum Anagramma est *MORA* : & forsassis ad hanc nominis conuersionem respexerat Fabius, cum de prælio aduersus Annibalem committendo meditaretur; in rebus bellicis *mora* aliquando opus esse iudicans; illa duntaxat tempestate patriæ salutem in *mora* esse repositam, tamque potentem hostem *mora* longè faciliùs quam celeritate profligatum iri : Nec fefellit illum expectatione : sua enim *mora* & cunctatione restituit Rempublicam, quam fortè pessundedisset, si celeritate & præcipitatione hoc in bello esset vsus. Vnde de illo postea dixit Ennius.

Vnus homo nobis cunctando restituit rem.

Huius anagrammatis rationem inuestigans Guillelmus Blancus, in suo Tractatu de Anagrammatismo, sic air,

Cur varios tamdiu remoratur Roma clientes?
Forte quod inuerso nomine Roma Mora est.

Et rectè quidem, si de Curia Romana tantum habeatur sermo : Mora enim Romanæ Curiæ sicut & aliis Curiis consueta est, &

quaſi perpetua. Verum ſi de Eccleſia, nihil abſurdius, nihil ineptiùs dictum aut ex cogitatum. Nonne celeris, nonne velox eſt Aquila? Sanè, & ita velox, vt volucres omnes velocitate dicatur ſuperare. Romana autem Eccleſia Aquila eſt, aquilæque comparatur à Ioanne in Apocalyppſi: & cum de filiorum agitur ſalute, potius volat quam currit. Quid plura? Si *Roma* eſt *Mora*, hoc intelligendum per antiphraſin: *Romam* ſcilicet, eſſe *Moram*, quod minimè *Mora* ſicut *Bellum* dicitur *Bellum* quod minimè *bellum*; aut ſi *Mora* ſit, Moram tantum eſſe, & mora ſeu cunctatione duntaxat vti, cum de corripiendis aut caſtigandis filiis, cum de contumacibus ex gremio eiiciendis agitur, vt eiuſmodi benignâ & patienti morâ reſipiſcendi tempus habeant. Apoc. 12

Sed dicet Schiſmaticus, dicet Hæreticus, dicet Infidelis, ſi Roma *Mora*, ergo & *fatua*, ergo *ſtulta*, id enim eſt quod ſignificat Græcè Μωρά. Conſequentiam abſolutè non nego, ſolum vtor diſtinctione. Roma fatua, dum dixit, *Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo*: dum in auro, dum in argento, dum in equis, dum in curribus, dum in legionibus, dum in claſſibus, dum in Ciuium duntaxat viribus imperium ſalutemque repoſuit. Stulta Roma, dum Dæmones & ſpiritus immundos excepit hoſpitio, dum gentium Deos coluit, adorauitque ſimulachra, quæ nec loquebantur, nec vide-

bant, nec audiebant, nec odorabant, nec palpabant, nec ambulabant, licet & os, & oculos, & aures, & nares, & manus, & pedes haberent. Et quia confisa est in diuitiis, in principibus, in filiis hominum, in quibus non erat salus, ideo cecidit, ideo corruit, & vt alibi iam diximus, veteris Romæ tam paucæ tamque exiguæ supersunt reliquiæ, vt vix illa fuisse credatur. Verum desiit esse fatua, desiit esse stulta, & re ipsa facta est sapiens, cùm se humiliauit, ac Dominæ gentium titulum in Seruæ seruorum Dei commutauit insigne: quum Dæmonis abegit lupam, vt Christi hospitaretur Ecclesiam: quum pro Remo & Romulo conditoribus Petrum & Paulum in restauratores assumpsit: quum desciuit ab Ethnicismo, vt Christianismum profiteretur: quum Deorum exauguràuit templa, vt ea vero Deo postea inauguraret: quum terreno imperio se abdicauit, vt à Deo ipso impertiretur Cælesti: quum denique Mundo diffidit, eiusque diuitias & potestates despexit, vt in Christo solo confideret, ac in eius & Matris & Sanctorum meritis spem suam in æternum collocaret.

Tertium Anagramma est *AMOR*, quod Scaliger sic explicuit hoc Disticho,

Roma, quod in verso delectaretur amore,
Nomen ab inverso nomine cepit Amor:

Fortassis quod Paulus istius præposteri amoris Romanos videatur insimulasse, cum dixit: *Feminæ eorum immutauerunt naturalem vsum in eum vsum qui est contra naturam: Similiter & masculi, relicto naturali vsu feminæ, exarserunt in desideriis suis in inuicem, masculi in masculos turpitudinem operantes.* Rom.1. Sed de huiusmodi nominis inuersione & saniorem & veriorem dabimus rationem. Vt aggrederetur Romana Vrbs quod aggressa est, vt faceret quod fecit, vt omnes terrarum reges superaret; vt totum Orbem suo subbiiceret imperio, amore proculdubio opus habuit, amore scilicet virtutis, amore gloriæ, amore famæ æternæ, qui ad tam egregia suscipienda Ciuium animos incitaret. Hic amor verus est amor: ille artium & scientiarum primus Magister est, inquit Orpheus; &, vt Philosophiæ, vt Theologiæ, vt Mathesi, vt Iurisprudentiæ quis nauet operam, earum scientiarum amore captus sit oportet. Nullum egregium facinus, quod hunc amorem non habeat autorem: nihil tam arduum & difficile, quod non superet tam perfectus amor, recteque dixit qui prius dixit,

Omnia vincit Amor, & nos cedamus
amori.

Maxima bona, secundum Platonem, sunt tot riui, qui ex huius amoris limpido oriun-

tur fonte : Et ea ſola fuit ratio , quæ olim Athenienſes adduxit , vt in medio Academiæ templum amori conſecrarent. Romana Vrbs terreno languit amore , ſed Romana Eccleſia amore cæleſti languet. Languet amore Chriſti , cuius eſt dilectiſſima Sponſa. Languet amore gregis , quem Chriſtus dilectiſſimus Sponſus dedit illi paſcendum. Languet amore filiorum, quos alendos, quos educandos , quos fouendos commiſit illi qui eſt eorum Pater & Dominus. In hoc incumbit hæc chariſſima Sponſa , vt ametur, vt colatur Chriſtus ſuus chariſſimus Sponſus. In hoc inuigilat hæc benigna Paſtrix, vt bene paſcatur & feliciter ſaluetur Grex ſibi commiſſus. In hoc deſudat illa pia Mater, vt quouis tempore bene ſe habeant filij. Aberrantes in rectam viam reducere conatur. Prodigos domum redeuntes benignè excipit. Perditos quærit, & ſi quis perierit deflet eum amariſſimè. Succurrit periclitantibus, lapſis fert opem, manum præbet pereuntibus, refocillat languidos, curat ſaucios, ſoſpitat peregrinantes, conſolatur afflictos, docet ignorantes, corrigit peccantes, conſilio iuuat indigentes , fert patienter iniurias , remittit offenſas , orat pro defunctis ſicut & pro viuis, & quod ſummæ charitatis mirum eſt indicium, orat etiam pro perſecutoribus. Paſcit eſurientes , potat ſitientes, colligit hoſpites, operit nudos , viſitat

infirmos, conuenit reclusos in carcere, redimit captiuos, sepelit mortuos, ad extremas terræ regiones se confert, per maria nauigat ignota, nulli denique parcit labori, nihil tam arduum & difficile quod non suscipiat, nullum periculum quod non subeat, cum agitur de filiorum salute: quæ omnia, vt dicunt Hispani, *Finezas son de amor tan estremadas, que no ay mas que dessear ò esperar*, amoris tam perfecta sunt argumenta, vt nihil vltra possit desiderari aut expectari. Et fortassis Maro, cuius nomen, vt diximus supra, in Roma est sicut & Amor, Romanæ Vrbis, aut potius Romanæ Ecclesiæ in suos futurum amorem & pietatem præsagiens, ideo Æneam, Romanæ gentis conditorem, primo Æneidos ita loquentem induxit.

Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum.

Ideo ipsemet Poëta passim vocat Æneam *Pium*, *Patrem & Parentem*, quæ quidem epitheta summi amoris euidentia sunt signa.

Quartum anagramma est *ARMO*, idque legitimum, ac Romanæ magnitudini maximè consentaneum. Debuit armare & armari Roma, quoniam Martis, armorum

ſummi præfecti & adminiſtratoris , filia eſſet credita. Debuit armare & armari Vrbs , quæ aduerſus omnes totius Orbis bellicoſiſſimas nationes erat bellatura. Debuit armari potenter , & potentes armatos ſibi conſcribere Ciuitas illa , quæ armis potentiſſimos terræ populos ſuo imperio erat ſubiectura. Fortibus armis muniri debuit, quæ facta tandem Eccleſia Christi victoris , aduerſus Mundi & Inferni poteſtates indeſinenter erat certatura. Armata igitur Roma , & ſecundum nomen ; ſed quibus armis, quæſo , armata ? Non ſemper iiſdem armis armata fuit : pro tempore & pro dignitate diuerſis & diſſimilibus armis debuit armari. Romana Vrbs temporali gladio fuit armata , Romana Eccleſia ſpirituali gladio incedit munita. Illa ferro domuit populos , hæc verbo Dei vincit illos. Illa, vt Prouincias ſibi ſubiiceret , Conſules & Legiones miſit armatas : Hæc , vt eundem conſequatur finem , Apoſtolos excalceatos & inermem Diſcipulorum cateruam delegat. Illa , vt expugnaret Ciuitates , arietibus aliiſque machinis vſa eſt : Hæc , vt Chriſto lucretur illas, ſola Euangelij vtitur prædicatione. Illa in inſigne ſibi delegerat Aquilam , hæc in vexillum ſibi conſtituit Crucem. Illa lorica ſuos tegebat milites , hæc cilicio. Illa ſuos haſtis & enſibus armabat ; Hæc breuiario , precaria corolla & ſcutica. Et quantumuis debilia ac inualida Mundo

videantur hæc Romanæ Ecclesiæ arma, certum eſt tamen illam longè fortiùs & gloriosiùs similibus armis pugnauisse, quam vnquam suis pugnauerit Romana Vrbs. Ab incunabulis ad noſtrum vſque tempus tam fortiter ac tam gloriosè omni ſæculo decertauit, vt latius iam præſideat Roma religione diuina, quam vnquam præſederit dominatione terrena, & minus ſit quod illi bellicus labor ſubdidit quam quod Chriſtiana pax ſubiecit.

Quintum & vltimum Romæ anagramma, quo nimirum hoc noſtri opuſculi penultimum Caput volumus concludere, eſt *Ramo*, Ablatiuus à Nominatiuo *Ramus*, cuius ſignificatum victoriæ & pacis eſt ſymbolum. Armata fuit Romana Vrbs, & armata permanſit indeſinenter pugnans, donec toto Orbe deuicto victoriæ paciſque *Ramo* fuerit donata, nempe ſub Auguſto, quo tempore natus eſt Chriſtus; Chriſtus princeps pacis, & in cuius virtute aliquot iam annos ante natalem eius diem facta erat pax per vniuerſam terram. Armata eſt Romana Eccleſia; armati ſunt eius athletæ; explorant eius vigiles, ne veniant Schiſmatici, ne irruant Heretici, ne improuiſam illam occupent Infideles; ne Diabolus, Leo rugiens, eius deuoret filios. Armata eſt, & armata permanebit vſque ad conſumationem ſæculi, quo tempore Chri-

ſtus, dilectiſſimus Sponſus, cuius eſt Columba dilectiſſima, oliuæ *Ramo* donabit illam, vt æternæ pacis ramo coronata, in æternum triumphet in Cælis.



ARCANA, QVÆ DE ROMA in Roma *Siglarum ratione possunt reperiri.*

CAPVT VLTIMVM.

VETERIBVS mos fuit ſcribere per Notas, quas dicebant *Siglas*, quaſi *Sigillas* ſeu *Singulas*, quod ſingulæ pro vocibus integris ponerentur, verbi gratia S. P. D. pro *Salutem Plurimam Dicit*. Huius compendioſæ ſcriben dirationis habita ratione, Romani teſſeris, ſignis vexilliſque has quatuor apponebant literas S P Q R. vt quaque litera vocabulum integrum ſignificante, idem eſſent ac *Senatus Populus Que Romanus*. Federicus tertius, Imperator, Auſtriacæque magnitudinis conditor, eodem fortaſſis innixus fundamento, pro ſymbolo vexillis curauerat depingi quinque Vocales, A. E. I. O. V. quas ſic ipſemet explicuit, *Auſtria Erit In Orbe Vltima*: licet modo prorſus diſſimili, veroque comprobato, poſtea fuerint expoſitæ; *Auſtria Erit In Odio Vbique*. Carolo quinto, eiuſdem glorioſæ ſtirpis glorioſo palmiti, vt rectiùs inuentum, felicius ſucceſſit, quod Vexillis inſcribi iuſ-

ſerat, nimirum *Adſit*; cuius vocabuli quinque literis hoc ipſemet indidit ſignificatum, *Adiuuante Deo Superabo Imperatorem Turcarum*: quod victoriæ proximæ fuit veluti vaticinium: Commiſſo enim prælio Solimannum, Turcarum Imperatorem, cum numeroſo ac potentiſſimo exercitu Viennam oppugnantem, feliciter ſuperauit, Vrbemque obſeſſam obſidione liberauit.

Quoniam vero per Notas vt plurimum ſcribere ſolerent Libelliones ſeu Tabelliones, ideo à Notis dicti ſunt *Notarij*: Et quia vna duntaxat litera plurium crebrò vocum erat ſignvm, indeque ſæpius obueniebat error, ideo à Latinis Iuris Codicibus ſuſtulit Imperator Iuſtinianus, & à Græcis Baſilius. Vt vt ſit, & qualiſcumque ſit facultas & vſus integram declarandi vocem vnâ duntaxat literâ, hoc tamen modo tum Hebræos, tum Græcos & Latinos, arcana quamplurima & reconditiſſima retexiſſe certum eſt.

Hunc tertij Dauidici Pſalmi verſiculum, *Multi inſurgent aduerſum me*, textus Hebraicus vnico declara vocabulo, ſcilicet *Rabim*, ex quatuor elementis conflato, *Res*, *Beth*, *Iod*, *Mem*: per quæ huius ſanctæ linguæ Doctores intelligunt populos quatuor, qui poſt multas vexationes Iudaicum tandem deleuerunt regnum, nimirum Romanos, Babylonios, Iones & Medos.

In nomine *ADAM*, quod quatuor conſtat elementis, quatuor Mundi partium nomina,

mina inueniant Græci ; quæ nomina ſunt *Anatole*, *Dyſis*, *Arctos*, *Meſembria*, id eſt Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies. Idque ſignificat, vt obſeruauerunt Iſidorus ac Euſebius, Adamo ex Eden expulſo, eius poſteros per quatuor Mundi partes poſtea fuiſſe diffuſos. Huius arcani meminit etiam Sibylla libro ſecundo.

Iſid. Ety. lib 7. c. 6. Euſeb. præp. Euang. lib. 11. cap 9. & lib. 7. c. 3. Sibyll. Or. c. lib. 2.

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus fuit, & qui nomine complet
Ortum, Occaſum, Auſtrum, Boreamque rigentem.

Iiſdem Græcis Piſcis dicitur ΙΧΘΥΣ, huiuſque vocabuli quinque literis Saluatoris declarantur nomina, videlicet Ἰησοῦς χριστὸς Θεοῦ Υἱός, Σωτὴρ, Ieſus Chriſtus Dei Filius Seruator. Idcirco Tertullianus Chriſtum ἰχθὺν, id eſt Piſcem, & Chriſtianos *Piſciculos* appellat: *Sed nos piſciculi ſecundum* ἰχθὺν *noſtrum Ieſum Chriſtum in aqua naſcimur.* Optatus, vt Chriſtum *Piſcem*, ita & Baptiſmatis ſacros fontes *Piſcinam* vocat: *Hic eſt piſcis, qui in Baptiſmate per inuocationem fontalibus vndis inſeritur, vt qua aqua fuerat, à Piſce etiam Piſcina vocetur: Cuius Piſcis nomen ſecundum appellationem Græcam in vno nomine per ſingulas literas turbam Sanctorum nominum continet.* Chriſto ἰχθύος

Lib. de Bapt.

Lib. 3. adu Parmeni.

nomen etiam tribuit Proſper, cum dicit; *Satiat ex ſeipſo in litore Diſcipulos, & toti offerens ſe mundo* Ιχθυν, *piſcis ſua paſſione decoctus, cuius ex interioribus remediis quotidie illuminamur & paſcimur.*

ſ de ...ræd. P. 2.c.39.

Lorinus in primum Actuum Caput, & Vega in Apocalypſis duodecimum, elementa quinque, quibus conſtat *MARIA*, quinque veteris legis viraginibus illuſtriſſimis attribuunt voluntque intelligi per *M. Mariam*, Moiſis Sororem: per *A. Abigail*, prius Nabal, poſtea Dauidi nuptam: per *R. Rebeccam*, Iſaaci coniugem: per I. *Iudith* viduam: & per vltimum A. *Annam*, Samuelis matrem. Nam ſicnt olim pictor Zeuxis, cum Helenæ pulcherrimæ figuram ſuſcepiſſet effingendam, pulcherrimas quinque puellas, quæ in tota Græcia potuiſſent inueniri, curauit accerſi, mutuatuſque eſt à ſingulis quodcunque pulchrius & formoſius, quodcunque ſpecioſius ac venuſtius in iis obſeruaſſet. Ita Conditor Æternus, in efformanda Virgine, Filij Genitrice, illas quinque clariſſimas mulieres, quaſi quinque perfecta archetypa, ſibi propoſuiſſe videtur, ex iiſque ſingulis illam deſumpſiſſe excellentiam, quam ad tam perfectum opus condendum iudicauit aptiorem. A Maria videlicet prudentiam, ab Abigail humilitatem, à Rebecca pulchritudinem, à Iudith fortitudinem, & ab Anna ſanctitatem accipiens. Nec tantum hoc, ſed & alia quamplurima, longéque reconditiora rete-

gentur arcana de Maria, si *MARIA* singulis literis singulæ voces dentur significandæ. Vt sunt sequentia, quæ si in tempore Præterito aut Præsenti proferantur, ferè totam Mariæ prodent Historiam.

Mundum Admirando Radio Illustrauit Anna,
Mariam Amicam Redemptionis Inducens Auroram.
Maria Atri Rupit Ianuam Auerni;
Magnanima, Animosa, Reum Iugulauit Aduersarium.
Malis Adami Remedium Infallibile Attulit.
Maria Adest Robusta, Indefessa Auxiliatrix.
Magnificè Adiuuat, Robur Inimicis Adimit.
Mirificè Auxiliatur, Robur Imbecillis Addit.
Mariam Amabilem Religiosus Ioseph Accipit.
Maritam, Amat, Reueretur Illam Admodum.
Missus Angelus Refert Illi Admiranda.
Mundi Autorem Reclusit In Aluo,
Merita Ante Reliquos Illum Adorare.

Mariæ Alumnum Reges Iure Adorant.
Mater Alma Redemptoris Iesu Altrix,
Miro Amore Rumas Illi Admouet,
Magnopere Amat, Reueretur, Intuetur, Admiratur.
Maria Admonita Refugit In Aegyptum,
Monitu Angeli Redemptorem Illuc Apportat,
Mortuo Aduersario Reuertitur In Aedes.
Miracula Admiranda Redemptoris Iesu Admiratur.
Maria Amabilem Redemptorem Ierosolimæ Amittit,
Mox Admodum Reucrtitur Illuc Afflicta,
Mysteria Agitantem Reperit In Aede.
Morti Atroci Redemptorem Iudæi Addicunt.
Maria Autem Recipit In Anima
Magnam Amaritudinem, Respiciens Iesum Affixum.
Mater Amabilis Relicta Ioanni Apostolo.
Matrem Agnoscit, Reueretur Illam Apostolus.
Magistra Apostolorum Rectè Instituit Apostolos.
Mortuam Angeli Referunt In Astra,

Meretur Angelorum Regina Imperatrixque Appellari.

Sed hæc ſufficiant. Videamus iam quid de Roma in *Roma* Notarum ſeu Siglarum ratione poſſimus reperire ; ſiue de ſe ipſamet loquatur, ſiue pro ea loquatur Hiſtoria. Ab ipſo principio principio ducto, quatuor ſcilicet elementorum, quibus conſtat *ROMA*, cuique integrum vocabulum ſignandi data facultate; Amulium, quum primum Rheam neptem grauidam comperiſſet, eam in carcerem conieciſſe ex Romæ ipſo patet nomine.

Rheam Ob Metum Amulius
Recludi Opaca Mandat Arce.

Eius imperio poſtea Remum Romulumque ex ea natos in profluentem aquam abiectos, quod vereretur tyrannus ille, ne aliquando fratres gemini Numitoris avi vltores euaderent.

Remum Romulumque
Obÿcit Obſtupefactus
Miro Metu
Aquis Amulius.

Sed ne poſſent extingui, Tiberinum, Amulio humaniorem factum, amnem repreſſiſſe.

Repente Repressus
Oppreßis Opitulatur
Maleuolo Mitior
Amnis Amulio.

Et quod mirum, relictis catulis Lupam, aut potius Accam meretricem (dictam fortaſſis Lupam, quod omnibus eius regionis vulgaretur Paſtoribus) infantium ſecutam vagitum, vbera miſellis benignam admouiſſe.

Rumam Obtulit Miſellis Acca.

Romulum deinceps, ætate prouectum, Romam condidiſſe, eamque vallo ſeu aggere cinxiſſe: Remum iuſſu fratris occiſum, dum valli irrideret anguſtias: Romulum Vrbem nouam aſylum feciſſe, ab eoque paulo poſt interfectum Actonem, Cæninenſium Regem.

Romulus Occepit Me Aedificare.
Raptim Obuallauit Me Aggere.
Remus Occiſus Mandato Adelphei.
Reis Obtulit Mox Aſylum.
Romuli Occiſus Manu Acton.

Romam in infantia ſub Regibus fuiſſe, Ancumque Martium, ex illis quartum, mœnia

muro amplexum; ſed vnius ob tyrannidem Ciues regium Dominium faſtidientes Regem tyrannum expuliſſe.

Regunt Reges,
Omnia Ordinant,
Muro Mœnia
Amplectitur Ancus.
Reges Oderunt Mei Accolæ.
Regem Odioſum Mœnibus Arcent.

Gallos Senonenſes ſub Brenno, Alabri filio, duce Romam oppugnaſſe & expugnaſſe, Ciuibuſque occiſis eam in cineres redegiſſe; tandem arcem adortos, prius acceptis mille auri pondo, caſtra mouiſſe.

Repente Occupat Me Alabrides.
Romanos Occidunt Milites Alabridis
Rogo Omnia Mea Abſumunt.
Robuſtè Oppugnant Meam Arcem,
Remouet Omnino Magnum Aurum.

Romam Rempublicam factam ardua incepiſſe moliri, eiuſque Ciues aggreſſos adoriri Reges: Suorum virtute totius Orbis moderamen aſſecutam: Aquilam, eius inſigne, ab omnibus veneratam: Opum denique affluentia, populorum concurſu, ædiumque magnificentia factam veluti vni-

uerſam totius Orbis officinam, matrem ac miraculum.

Reſpublica Opera Molitur Ardua.
Romani Opera Mirabilia Aggrediuntur.
Robore Orbis Moderamen Aſſequor.
Rerum Omnium Moderamen Accipio.
Regna Omnia Mihi Arrogo.
Regiones Omnes Mihi Adipiſcor.
Reliquæ Obediunt Mihi, Auſcultant.
Reuerentur Omnes Meam Aquilam.
Requirunt Omnes Meam Amicitiam.
Reginam Orbis Me Acclamant.
Romam Omnibus Mirificè Affluentem
Rebus, Officinam Mundi Appellant.
Romam Omnes Mortales Aduolant.
Roma Orbis Miraculum Appellatur.
Roma Omnium Mater Aeſtimatur.

Diu rectam à Conſulibus, tandem ad principatum, ſeu vnius imperium, regnante ſcilicet Auguſto, rediiſſe: eam Aurelianum magnificè ornaſſe & ampliaſſe; eique poſtea ob occiſos Chriſti athletas Imperium Orbis ablatum.

*Romæ Obtinuit Moderamen Augu-
stus.*
*Romam Ornauit Magnificè Aurelia-
nus,*
Reuera Omnium Maximè Ampliauit.
Romæ, Occisis Meßiæ Athletis,
Regnum Orbis Mox Ablatum.

Sed Omnipotentis beneficio tandem restitutum, administrationem Religionis consecutam, supremamque illi tanquam Matri ac Dominæ concessam potestatem lactandi filios Dei, aperiendi iis ianuam Cæli, eosque anathematizandi, cum fuerint contumaces.

Restituit Omnipotentis Manus Auxiliatrix.
Religionis Oblata Mihi Administratio.
Rumas Omnibus Meis Adhibeo.
Resero Olympum Meis Alumnis.
Rebelles Omnes Mihi Anathematizo.

Gemere tamen ac lugere, quoties proprij fluminis exundationum meminit; quoties Ostrogothorum, quoties Alarici, quoties Atilæ, quoties Caroli Austriaci direptionum & incendiorum recordatur.

ſerat, nimirum *Adſit*; cuius vocabuli quinque literis hoc ipſemet indidit ſignificatum, *Adiuuante Deo Superabo Imperatorem Turcarum*: quod victoriæ proximæ fuit veluti vaticinium: Commiſſo enim prælio Solimannum, Turcarum Imperatorem, cum numeroſo ac potentiſſimo exercitu Viennam oppugnantem, feliciter ſuperauit, Vrbemque obſeſſam obſidione liberauit.

Quoniam vero per Notas vt plurimum ſcribere ſolerent Libelliones ſeu Tabelliones, ideo à Notis dicti ſunt *Notarij*: Et quia vna duntaxat litera plurium crebrò vocum erat ſignvm, indeque ſæpius obueniebat error, ideo à Latinis Iuris Codicibus ſuſtulit Imperator Iuſtinianus, & à Græcis Baſilius. Vt vt ſit, & qualiſcumque ſit facultas & vſus integram declarandi vocem vnâ duntaxat literâ, hoc tamen modo tum Hebræos, tum Græcos & Latinos, arcana quamplurima & reconditiſſima retexiſſe certum eſt.

Hunc tertij Dauidici Pſalmi verſiculum, *Multi inſurgent aduerſum me*, textus Hebraicus vnico declara vocabulo, ſcilicet *Rabim*, ex quatuor elementis conflato, *Res*, *Beth*, *Iod*, *Mem*: per quæ huius ſanctæ linguæ Doctores intelligunt populos quatuor, qui poſt multas vexationes Iudaicum tandem deleuerunt regnum, nimirum Romanos, Babylonios, Iones & Medos.

In nomine *ADAM*, quod quatuor conſtat elementis, quatuor Mundi partium nomina,

mina inueniant Græci ; quæ nomina sunt *Anatole*, *Dysis*, *Arctos*, *Mesembria*, id est Oriens, Occidens, Septentrio, Meridies. Idque significat, vt obseruauerunt Isidorus ac Eusebius, Adamo ex Eden expulso, eius posteros per quatuor Mundi partes postea fuisse diffusos. Huius arcani meminit etiam Sibylla libro secundo.

Isid. Ety. lib 7. c. 6. Euseb. præp. Euang. lib. 11. cap 9. & lib. 7. c. 3. Sibyll. Or: c. lib. 2.

Nimirum Deus is finxit tetragrammaton Adam,
Qui primus fictus fuit ; & qui nomine complet
Ortum, Occasum, Austrum, Boreamque rigentem.

Iisdem Græcis Piscis dicitur ΙΧΘΥΣ, huiusque vocabuli quinque literis Saluatoris declarantur nomina, videlicet Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ Υἱός, Σωτήρ, Iesus Christus Dei Filius Seruator. Idcirco Tertullianus Christum Ἰχθὺν, id est Piscem, & Christianos *Pisciculos* appellat : *Sed nos pisciculi secundum* Ἰχθὺν *nostrum Iesum Christum in aqua nascimur.* Optatus, vt Christum *Piscem*, ita & Baptismatis sacros fontes *Piscinam* vocat : *Hic est piscis, qui in Baptismate per inuocationem fontalibus vndis inseritur, vt qua aqua fuerat, à Pisce etiam Piscina vocetur ; Cuius Piscis nomen secundum appellationem Græcam in vno nomine per singulas literas turbam Sanctorum nominum continet.* Christo Ἰχθύας

Lib. de Bapt.

Lib. 3. adu Parmeni.

nomen etiam tribuit Prosper, cum dicit; *Satiat ex seipso in litore Discipulos, & toti offerens se mundo* Ixθυν, *piscis sua passione decoctus, cuius ex interioribus remediis quotidie illuminamur & pascimur.*

§ de ...ræd. P. 2.c.39.

Lorinus in primum Actuum Caput, & Vega in Apocalypsis duodecimum, elementa quinque, quibus constat *MARIA*, quinque veteris legis viraginibus illustrissimis attribuunt voluntque intelligi per *M. Mariam*, Moisis Sororem: per *A. Abigail*, prius Nabal, postea Dauidi nuptam: per *R. Rebeccam*, Isaaci coniugem: per I. *Iudith* viduam: & per vltimum A. *Annam*, Samuelis matrem. Nam sicut olim pictor Zeuxis, cum Helenæ pulcherrimæ figuram suscepisset effingendam, pulcherrimas quinque puellas, quæ in tota Græcia potuissent inueniri, curauit accersi, mutuatusque est à singulis quodcunque pulchrius & formosius, quodcunque speciosius ac venustius in iis obseruasset. Ita Conditor Æternus, in efformanda Virgine, Filij Genitrice, illas quinque clarissimas mulieres, quasi quinque perfecta archetypa, sibi proposuisse videtur, ex iisque singulis illam desumpsisse excellentiam, quam ad tam perfectum opus condendum iudicauit aptiorem. A Maria videlicet prudentiam, ab Abigail humilitatem, à Rebecca pulchritudinem, à Iudith fortitudinem, & ab Anna sanctitatem accipiens. Nec tantum hoc, sed & alia quamplurima, longéque reconditiora rete-

gentur arcana de Maria, ſi *MARIA* ſingulis literis ſingulæ voces dentur ſignificandæ. Vt ſunt ſequentia, quæ ſi in tempore Præterito aut Præſenti proferantur, ferè totam Mariæ prodent Hiſtoriam.

Mundum Admirando Radio Illuſtrauit Anna,
Mariam Amicam Redemptionis Inducens Auroram.
Maria Atri Rupit Ianuam Auerni;
Magnanima, Animoſa, Reum Iugulauit Aduerſarium.
Malis Adami Remedium Infallibile Attulit.
Maria Adeſt Robuſta, Indefeſſa Auxiliatrix.
Magnificè Adiuuat, Robur Inimicis Adimit.
Mirificè Auxiliatur, Robur Imbecillis Addit.
Mariam Amabilem Religioſus Ioſeph Accipit.
Maritam, Amat, Reueretur Illam Admodum.
Miſſus Angelus Refert Illi Admiranda.
Mundi Autorem Recluſit In Aluo,
Merita Ante Reliquos Illum Adorare.

Maria Alumnum Reges Iure Adorant.
Mater Alma Redemptoris Iesu Altrix,
Miro Amore Rumas Illi Admouet,
Magnopere Amat, Reueretur, Intuetur, Admiratur.
Maria Admonita Refugit In Aegyptum,
Monitu Angeli Redemptorem Illuc Apportat,
Mortuo Aduersario Reuertitur In Aedes.
Miracula Admiranda Redemptoris Iesu Admiratur.
Maria Amabilem Redemptorem Ierosolimae Amittit,
Mox Admodum Reuertitur Illuc Afflicta,
Mysteria Agitantem Reperit In Aede.
Morti Atroci Redemptorem Iudæi Addicunt.
Maria Autem Recipit In Anima
Magnam Amaritudinem, Respiciens Iesum Affixum.
Mater Amabilis Relicta Ioanni Apostolo.
Matrem Agnoscit, Reueretur Illam Apostolus.
Magistra Apostolorum Rectè Instituit Apostolos.
Mortuam Angeli Referunt In Astra,

Meretur Angelorum Regina Imperatrixque Appellari.

Sed hæc ſufficiant. Videamus iam quid de Roma in *Roma* Notarum ſeu Siglarum ratione poſſimus reperire; ſiue de ſe ipſamet loquatur, ſiue pro ea loquatur Hiſtoria. Ab ipſo principio principio ducto, quatuor ſcilicet elementorum, quibus conſtat *ROMA*, cuique integrum vocabulum ſignandi data facultate; Amulium, quum primum Rheam neptem grauidam comperiſſet, eam in carcerem conieciſſe ex Romæ ipſo patet nomine.

Rheam Ob Metum Amulius
Recludi Opaca Mandat Arce.

Eius imperio poſtea Remum Romulumque ex ea natos in profluentem aquam abiectos, quod vereretur tyrannus ille, ne aliquando fratres gemini Numitoris avi vltores euaderent.

Remum Romulumque
Obijcit Obſtupefactus
Miro Metu
Aquis Amulius.

Sed ne poſſent extingui, Tiberinum, Amulio humaniorem factum, amnem repreſſiſſe.

Repente Repressus
Oppressis Opitulatur
Maleuolo Mitior
Amnis Amulio.

Et quod mirum, relictis catulis Lupam, aut potius Accam meretricem (dictam fortassis Lupam, quod omnibus eius regionis vulgaretur Pastoribus) infantium secutam vagitum, vbera misellis benignam admouisse.

Rumam Obtulit Misellis Acca.

Romulum deinceps, ætate prouectum, Romam condidisse, eamque vallo seu aggere cinxisse: Remum iussu fratris occisum, dum valli irrideret angustias: Romulum Vrbem nouam asylum fecisse, ab eoque paulo post interfectum Actonem, Cæninensium Regem.

Romulus Occepit Me Aedificare.
Raptim Obuallauit Me Aggere.
Remus Occisus Mandato Adelphei.
Reis Obtulit Mox Asylum.
Romuli Occisus Manu Acton.

Romam in infantia sub Regibus fuisse, Ancumque Martium, ex illis quartum, mœnia

muro amplexum; ſed vnius ob tyrannidem Ciues regium Dominium faſtidientes Regem tyrannum expuliſſe.

Regunt Reges,
Omnia Ordinant,
Muro Mœnia
Amplectitur Ancus.
Reges Oderunt Mei Accolæ.
Regem Odioſum Mœnibus Arcent.

Gallos Senonenſes ſub Brenno, Alabri filio, duce Romam oppugnaſſe & expugnaſſe, Ciuibuſque occiſis eam in cineres redegiſſe; tandem arcem adortos, prius acceptis mille auri pondo, caſtra mouiſſe.

Repente Occupat Me Alabrides.
Romanos Occidunt Milites Alabridis
Rogo Omnia Mea Abſumunt.
Robuſtè Oppugnant Meam Arcem,
Remouet Omnino Magnum Aurum.

Romam Rempublicam factam ardua incepiſſe moliri, eiuſque Ciues aggreſſos adoriri Reges: Suorum virtute totius Orbis moderamen aſſecutam: Aquilam, eius inſigne, ab omnibus veneratam: Opum denique affluentia, populorum concurſu, ædiumque magnificentia factam veluti vni-

Romæ Obtinuit Moderamen Augustus.
Romam Ornauit Magnificè Aurelianus,
Reuera Omnium Maximè Ampliauit.
Romæ, Occisis Meßiæ Athletis,
Regnum Orbis Mox Ablatum.

Sed Omnipotentis beneficio tandem restitutum, administrationem Religionis consecutam, supremamque illi tanquam Matri ac Dominæ concessam potestatem lactandi filios Dei, aperiendi iis ianuam Cæli, eosque anathematizandi, cum fuerint contumaces.

Restituit Omnipotentis Manus Auxiliatrix.
Religionis Oblata Mihi Administratio.
Rumas Omnibus Meis Adhibeo.
Resero Olympum Meis Alumnis.
Rebelles Omnes Mihi Anathematizo.

Gemere tamen ac lugere, quoties proprij fluminis exundationum meminit; quoties Ostrogothorum, quoties Alarici, quoties Atilæ, quoties Caroli Austriaci direptionum & incendiorum recordatur.

Romam Obruit Metu Albula.
Repente Ostrogothi Me *Adoriuntur.*
Romam Ostrogothi Merore *Afficiunt.*
Rex Obsidet Me *Attila.*
Rex Oppugnat Me *Alaricus*
Romam Occupat Maio *Austriacus.*

Licet quæ de Roma hoc vltimo diximus Capite, obiter potius quam ex instituto dicta velim, dictaque tantummodo, ne arcanorum Romæ nomen spectantium aliquid intactum videar prætermisisse, minimè tamen spernenda censeo; nec desunt autores, qui autoritate sua Siglarum confirment autoritatem. Et vt infinitos prætereamus, vnius & dignissimi & integerrimi Præsulis nobis sufficiat autoritas, nimirum Reuerendissimi Patris Ioannis Nasi, Episcopi Bellinensis Brixiensisque Suffraganei, qui Chartaceam Luteranorum discordantem Concordiam, à Doctore Iacobo Andrea conscriptam, iam inde à principio, seu titulo libri, Siglarum ratione aggreditur confutare, ita exponens singula elementa, quibus constat vocabulum *CONCORDIA.*

Contra Omnes Nationes Cudit Odiosam
Recōciliationem Doctor Iacob André.

Quem illustrissimi Antistitis conceptum vt clariorem redderet Ioannes Enguius, Carminum Hexametrorum condidit seriem, quorum omnes prorsus voces ab inceptiua *Concordia* incipiunt litera.

Cælicolûm Contra Cultum, Christumque Colentes
Catholicos, Cælo Charos Cælique Cateruæ,
Cudere Cæperunt Clypeum Cyclopea Castra,
Constituat Cuius Celsum Concordia Culmen.
Cyclopumque Caput Clamat: Concurrite Ciues
Cimmerij, Clypeum Concordem Cudite Cuncti.

Cætera septemdecim quæ supersunt eiusdem texturæ Carmina, apud ipsum Nasum sub finem Concordiæ Examinis videre licet.

FINIS.

